TRIBUKAIT

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

[redacted]

# DE PROVERBIIS VULGARIBUSQUE ALIIS LOCUTIONIBUS APUD BUCOLICOS GRAECOS OBVIIS.

**DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA ALBERTINA REGIOMONTANA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

**DIE III. MENSIS JUNII A. MDCCCLXXXIX**

HORA XII
IN AUDITORIO MAXIMO
UNA CUM THESIBUS ADIECTIS PUBLICE DEFENDET

PHILIPPUS TRIBUKAIT
**LYCKENSIS.**

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
**FRITZ MILKAU**, DR. PHIL.
**EDUARD LOCH**, SODALIS SEM. PHIL.

**REGIMONTI.**
EX OFFICINA LEUPOLDIANA.
MDCCCLXXXIX.

# Arthuro Ludwich

sacrum.

Disserturo de proverbiis vulgaribusque aliis locutionibus apud bucolicos Graecos obviis videtur praemonendum esse eum, qui cuiuslibet scriptoris proverbia pertractare sibi proposuerit, eo consilio potissimum agere, ut proficiat aliquid ad omnium proverbiorum corpus olim edendum. Quare fieri non potest, quin primum certam ac probatam viam in rebus digerendis ingrediatur, tum qualemcunque locutionem proverbiorum numero tribuendam putet eam vere fuisse proverbialem vulgoque tritam adhibitis scholiis paroemiographis lexicographis aliorum scriptorum locis dilucide exponat. Neque tamen hoc solum subeunti tale opus consilium esse oportet: conferatur enim necesse est quam plurimum ad ipsum de quo agitur auctorem explanandum recteque intellegendum. Addenda igitur est explicatio accurata: non quo omnes elocutionis dialecti grammaticae difficultates huc pertinere mihi persuaserim, sed solum de vi et sententia proverbii cogitavi. Talia vero hic illic notare satis est fontesque adiicere ex quibus optime quispiam plura discat. Eadem fere ratio in arte critica factitanda intercedit, nisi quod paulo uberior cura tum ei impendenda est, ubi aut sensus proverbii alius alia laudata scriptura exsistit aut forma locutionis nonnullius est momenti.

Rectae disponendi rationis lineas primus duxit Zellius[1]); secuti sunt praeter alios Bauckius[2]) et Kochius[3]),

1) ,Über die Sprüchwörter der alten Griechen' (Ferien-Schriften I p. 91 sqq. Freiburg 1826).

2) ,De prov. aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis ap. Arist. com.' Regim. 1880.

3) ,Quaest. de prov. ap. Aesch. Soph. Eur. cap. I' Regim. 1887.

quorum dissertationes qui perlegerit quantum illi praestiterint facile intelleget. Nemo sane miretur, quamquam ipsi nonnunquam docuerunt quam difficile sit propositum orationis filum servare[1]), in universum tamen eundem rerum ordinem, quem illi demonstraverint, me secuturum esse. Secernam praeeuntibus Bauckio et Kochio sententias a proverbiis aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis, his amplectar metaphoras ab animalium rerumque inanimarum natura profectas; apponam quae a gentium hominumque siugulorum natura et indole deprompta sunt, tertium de iis disseram, quae fabulae quaedam historiaeve protulerunt in lucem; postremo proverbia pertractabo ex communi hominum vita occupationibusque cotidianis exorta.

De veterum studiis in collectione et explicatione proverbiorum collocatis curisque recentiorum, qui ab Erasmo deinceps in hoc litterarum genere sunt versati, de origine, de notione ac vi vocis *παροιμία*, de ratione proverbia agnoscendi vide quae Bauck. et Koch. praefati sunt.

Bucolicorum locos ex his editionibus attuli: Theocr. Bion. Mosch. tert. ed. Aug. Meineke Berol. 1856.

Theocriti carmen aeolicum tertium (XXX) ex ed. Fritzschii tert. cur. ab Hillero Leipz. 1881.

Scholia ad Theocr. ex ed. Ahrensii (Bucol. Graec. tom. II); scholia cod. Ambros. 222 (κ) ex ed. Ziegleri.

Carmina XIX, XX, XXI, XXIII, XXVII, quae sub Theocriti nomine vulgo feruntur, quamquam hodie plus

1) Ita Bauck. iis proverbiis, quae a natura quadrupedum deprompta sunt, inseruit illud quod est *κύνα δέρειν δεδαρμένον*. Hoc tamen a natura canis nescio quo pacto duci possit — cuiuslibet enim quadrupedis corium idem facit — neque est dubium, quin in iis locutionibus fuerit collocandum, quae a cotidianis hominum occupationibus sint profectae. Similiter Koch. quamquam peculiari capite sententiis operam navare voluit, tamen etiam aliis quibusdam partibus eas tribuit: cf. p. 56 sq. p. 60, 63, 90. At sententiae sive ex fonte quodam profectae sive translate aut sine metaphora sunt enuntiatae, in unum omnes rectissime congeruntur.

minusve constat inter viros doctos Theocrito ea non esse tribuenda, tamen omittenda non censui.

Paroemiographorum usus sum editione Gottingensi quae curata a Leutschio et Schneidewino prodiit ann. 1839—51. Proverbiorum collectioni quae Diogenianum auctorem ementitur hoc nomen opportunitatis causa concedendum putavi.

## Caput primum.

# De sententiis proverbialibus.

Primum sententias quasdam vocabo in iudicium, quae sine notabili metaphora sunt prolatae.

His ad numerandum est, quod de ebrietate ea, quae recondita sunt in sobrii pectore, propalam profitenti dicit Theocritus XXIX 1 *οἶνος ὦ φίλε παῖ λέγεται καὶ ἀλάθεα.* Sententia, quam recepit poeta ex Alc. frgt. 57, frequenter comparet in veterum scriptis[1]) explicaturque ab Erasmo I 7, 17; Koch. p. 90; hic etiam aliorum scriptorum locis eam illustrat. Adde Anth. Pal. XI 232 *οἶνος ἐλέγχει τὸν τρόπον*; Manuel Pal. ap. Boisson. anecd. II 291 *ὡς παρ᾽ ἡμῶν τῶν μεθυστικῶν μᾶλλον ἢ τῶν νηφόντων πυθέσθαι τινὰ τὴν ἀλήθειαν ἔξεστι.* Vinum igitur, si non immoderate sumitur, efficit, ut ebrii animum quasi inspicientes in speculum apertum contemplemur, ideoque in hunc modum extulit proverbium Alc. frgt. 53 *οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον* simillimeque locutus est Aeschyl. frgt. 384 *κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ᾽ οἶνος δὲ νοῦ* — sin paulo immoderatius, garrulitatem prodit studiumque omnia, quae incidunt in mentem, eloquendi: quo spectant Ephipp. ap. Mein. frgt. com. Gr. III 340 *οἴνου σε πλῆθος πολλ᾽ ἀναγκάζει λαλεῖν*; Diog. I 313 *τὸ ἐν καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῆς γλώσσης τοῦ μεθύοντος.*[2])

1) cf. Athen. II p. 37 E; Sim. Setti p. 78, 1 ed. Langkav.; Isid. Pel. ep. II 109; Zenob. I 85 Diog. I 290 Greg. C. I 369.

2) De Latinorum eiusdem sententiae usu vide Hor. c. I 18, 16 epod. IX 13 sat. I 4, 89 epist. I 5, 19; Plin. nat. hist. XIV 141.

Una cum vino commemoratur pueritia Apost. II 554 *οἶνος καὶ παῖδες ἀληθεῖς* cf. Plat. symp. p. 217 E. — superbia Menand. IV 308 Mein. *ὕβρις καὶ οἶνος ἀποκαλύπτειν εἰώθασι φίλοις τὰ ἤθη τῶν φίλων* — amor Senec. ep. 6 „ebrietas et amor secreta produnt" — stultitia Maxim. Plan. prov. 10 *ἐξ ἀνοήτου καὶ μεθύοντος μαθήσῃ τὸ ἀληθές.*[1])

Alia proverbialis sententia exstat Theocr. XII 2 *οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν*; quod dictum quamquam nec scholiastae pro proverbio habent nec paroemiographi notant, equidem proverbiorum numero tribuere non dubito, quia sententia Theocritea, etiamsi poetam ipsum vulgarem locutionem usurpasse negamus, posteriore aetate proverbii instar est adhibita ab Auson. epist. XII 3 *τί κενεαῖσιν ἐπ' ἐλπίσιν αὔτως* ludimus *ἀφραδίῃσιν ἐν ἤματι γηράσκοντες*; Firm. Caes. ep. 31 ap. Murator. anecd. p. 310 *ἐπειδὴ τοὺς ποθοῦντας ἐν ἡμέρᾳ γηράσκειν ὁ παλαιὸς κατέχει λόγος.*[2]) De vi sententiae hoc statuit schol.: *οἱ δὲ ἐρῶντες ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἀποδυρόμενοι γηρῶσιν. ἔστι δὲ παρὰ τὸ Ὁμηρικὸν* (Od. XIX 360)· *αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν.* Non ab omni parte recte: neque enim de senio vere irrepenti iusto celerius ob animi cruciatus bucolici verba interpretanda sunt, sed impropria haec est loci sententia:[3]) qui cum desiderio aliquid exspectant, iis tam longum vel unius diei spatium videtur, ut in eo quasi senes se esse factos existiment. Perducit huc facile imitatio Vergiliana ecl. VII 43 „si mihi non haec lux toto iam longior anno est." Adiicio Theocr. XXI 27 *ἀλλὰ τὸν ὕπνον ἁ φροντὶς κόπτοισα μακρὰν τὰν νύκτα ποιεῖ τοι;*

---

1) Exscripsi h. l. ex Crusii opusculo quod inscribitur „über die Sprüchwörtersammlung des Maximus Planudes" edito in Mus. Rhen. 1887 p. 386 sqq.

2) Praeterea laudaverunt Theocriteum Julian. ep. ad Lib. p. 374 C Spanh. et Eustath. ad Hom. p. 1679, 20; p. 1867, 59.

3) cf. Wuestem. ad h. l. p. 182; Fritzsch I p. 381 ed. alt. . Interpretem Theocriti Graecum secutus est Erasm. III 3, 86.

Anth. Pal. XII 171 ὡς ὁ μικρὸς μυριετὴς κέκριται τῷ φιλέοντι χρόνος.[1])

Paupertate ad artes exercendas et inveniendas incitari homines auctor est Eurip. frgt. 10 Dind. πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε in quo dicto proverbium recte agnoverunt paroemiographi[2]) in hunc modum interpretati: παρόσον οἱ πένητες πολλὰς τέχνας ἐπιτηδεύουσιν.[3]) Eadem sententia utitur Theocr. XXI 1 ἁ πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει, αὔτα[4]) τῶ μόχθοιο διδάσκαλος. Locutionem fuisse usu tritam ex locis, quos Fritzsch. ad h. l. II p. 116 congessit, satis apparet maxime ex Plaut. stich. I 3, 24 = 178 „nam illa (sc. paupertas) artis omnis perdocet ubi quem attigit.“ Adiungo versum Menandri monost. 449 Mein. πολλῶν ὁ λιμὸς γίνεται διδάσκαλος. cf. Mac. II 203. Similiter Ov. art. am. II 43; Pers. prol. 10; Senec. ep. 15.

Etiam divitiarum deum, potentissimum illum moderatorem tyrannumque hominum, in communibus versari proverbiis nemo est qui miretur. Ut fortunam constat tam probis quam improbis temere bona largiri, cum probis solum debeat, ita Plutum Cereris et Jasii filium iam Hesiod. theog. 969 auctor est hominum qualicunque occurrat sine ullo delectu ei se tradere. Hinc fabulam posterior aetas progenuit caecum eum esse διὰ τὸ ἄκριτον,[5]) et proverbium exortum est quod notavit explanavitque Mac. II 233 τυφλὸς ὁ Πλοῦτος: ἐπὶ τῶν αναξίως εὐπραγούντων.[6]) Alii causam, cur fuerit caecus in eo reperiunt, quod ne integris

---

1) Aliud voluit memor fortasse Theocriti Greg. Naz. or. p. 473 C Mor. ὄντως ἡμέρα μία βίος ὅλος ἀνθρώπου τοῖς πόθῳ κάμνουσι; eadem ferre verba leguntur in Boisson. anecd. I 13; I 39; III 148.

2) Zenob. I 149 Greg. C. I 372 Diog. V. II 46.

3) In divites quadrat prov. 2585 in Binderi Nov. thes. adag. Lat.: ‚plenus venter non studet libenter.‘

4) αὐτὰ codd.; αὔτα Meinekium secutus Hiller.

5) cf. schol. Theocr. X. 19.

6) cf. Diog. Laert. V 82; Amph. ap. Athen. XIII p. 567 F.

oculis nemini nisi iustissimo cuique et optimo sese offerat, a Jove excaecatus sit.[1]) Jam quoniam notissimum est et divites perraro divitiis bene frui et homines eas quarentes saepenumero de via deflectere — praeclare enim Ov. rem. am II 615 „dum spectant oculi laesos laeduntur et ipsi" — a caeco deo ipsi oculorum acie privari dicuntur divites a Menand. in Stob. flor. 93, 21 *τυφλὸν ὁ πλοῦτος καὶ τυφλοὺς τοὺς ἐμβλέποντας εἰς ἑαυτὸν δεικνύει.* cf. Antiph. ap. Stob. 93, 20. Quare ambiguum eum esse bonum admonet Apost. II 253 *ἄζηλος ὁ πλοῦτος ὅτι τυφλός.* cf. Plut. symp. t. VIII p. 703 Reisk. Proverbium de caeco Pluto h. e. tali qui caecos reddat homines pervulgatum tangit Theocr. X 19 *τυφλὸς δ'οὐκ αὐτὸς ὁ πλοῦτος ἀλλὰ καὶ ὡφρόντιστος ἔρως.* Plutum cum amore connectunt etiam. Dio Chrys. or. IV p. 169, 17 *τυφλοῦ καὶ δικαίως λεγομένου καὶ γραφομένου τοῦ πλούτου τυφλότερος ἐραστής* et Theocritum imitatus Nic. Eug. V 219: *ἔρως δὲ τυφλὸς οὐ γὰρ ὁ πλοῦτος μόνος.* Amatoris denique caecitatem denotat Theocr. VI 18 *ἦ γὰρ ἔρωτι πολλάκις ὦ Πολύφαμε τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται* quod ipsum non omnem desiderat colorem proverbialem, cuiusque simillimum protulit Plat. leg. V p. 731 E *τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν.* De amoris facultate amantium animos obscurandi vide Orph. p. 507 Herm.; Plaut. trin. 666; Hor. c. I 18, 14 sat. I 3, 38; Prop. III 6 (14), 18. Ceterum id non indignum videtur memoratu in Theocr. X 19 pronomen *αὐτός* significationem fere induere vocabuli *μόνος*: cf. Fritzsch ad V 85 ed. min. tert. cur. ab Hiller. p. 103; cui frustra adversatus est Ameis. adnot. in Theocr. I p. 28.

Sententiam haud dubie proverbialem usurpatam esse a Theocr. XXI 32: *εὖ γὰρ ἂν εἰκάξαις κατὰ τὸν νόον . οὗτος ἄριστος ἐστὶν ὀνειροκρίτας, ὁ διδάσκαλός ἐστι παρ' ᾧ νοῦς* testatur Cic. de div. II 5 „est quidam Graecus vulgaris in hanc sententiam versus: bene qui coniiciet vatem hunc perhi-

1) cf. Aristoph. plut. 87 sqs.

beto optimum". Ex eodem fonte ex quo haec interpretatio Ciceroniana fluxit Eurip. frgt. 963 Dind. *μάντις δ᾽ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.*[1]) Similiter Eurip. Hel. 758 *γνώμη δ᾽ἀρίστη μάντις ἥ τ᾽ εὐβουλία*; Menand. in Stob. flor. III 6 *ὁ πλεῖστον νοῦν ἔχων μάντις τ᾽ ἄριστός ἐστι · σύμβουλός θ᾽ ἅμα.*

Apponere huc non vereor Theocr. XXVII 3 *κενὸν τὸ φίλαμα λέγουσιν* quod dictum vulgare fuisse ipsum illud quod additum est *λέγουσιν* demonstrat, simillimoque sensu *τὺ δ οὐ γυμνὸν τὸ φίλημα, τὺ δ᾽ ὦ ξένε καὶ πλέον ἕξεις* ait Mosch. I 5. Assimilare licet Eustath. Macr. p. 189 Herch. *τί δέ σοι κέρδος ἐκ φιλήματος* et Prop. III 7 (15), 50 „omnia si dederis oscula pauca dabis." Inane nominatur osculum, ne totam amicam qui osculum acceperit una sibi dari putet. At tamen in contrarium fere cadit prov. Lat. 1120 ap. Binder. l. c. „femina si osculatur te tua est vel maxime."

Bucolici locum haec altera de eadem re subsequitur sententia v. 4 *ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασι ἁδέα τέρψις.* Qui versus id videtur factus esse, quod nos ‚geflügeltes Wort' vocamus; usurpatur enim proverbii loco ab Eustath. Macr. l. c., affertur ab Arsen. II 423; Stob. flor. 63, 19; denique a sedulo lectore male illatus est in Theocr. III 20.[2])

Jam vero perlustremus sententias quasdam mulierum loquacularum maxime proprias ideoque in Theocr. Adoniaz. frequenter occurrentes; quas in vulgi ore fuisse versatas, etsi certa veterum testimonia desunt, mihi quidem ipsa pronuntiandi condicio videtur comprobare. Habent praeterea omnes fere vulgare quidpiam, ut accuratius infra de singulis explicabo.

Huiusmodi sunt Theocr. XV versus 24—26 ubi cum Gorgo Praxinoam amicissimam domo abductura ad Adonidis

---

1) Hinc confirmatur Briggsii conjectura *εὖ γὰρ ἂν εἰκάξαις*; quam pro vulgato *οὐ γὰρ νικαξῇ* receperunt Meinek. Hiller.

2) Vide Haupt. in Mus. Rhen. 1846 p. 272.

festum in Ptolemaei regis aedibus magnificis apparatum sumptibus optimum fore spectaculum dixerit, hoc modo procedit sermo: *Πρ. ἐν ὀλβίω ὄλβια πάντα. Γ. ὧν ἴδες ὧν εἴπαις κεν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι. Ἕρπειν ὥρα κ'εἴη. Πρ. ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά.*

Primum hemistichium sic interpretatus est Fritzsch. II p. 41 ed. mai.: „reginam regie apparare et splendide nil mirum (nostri homines: wer lang hat lässt lang hängen): sed quid ista ad me?“ Similiter olim Erasm. IV 10, 83; alia non feliciter tentavit Toup. ep. de Syrac. p. 345 Heind. Notabilis est vocabuli *οἶκος* ellipsis, quam in proverbiis propriam sibi habere sedem fusius exposuit Valcken. ad Adon. p. 154 Heind.

Altera huius loci sententia v. 25[1]) Gorgo ad festinandum conatur amicam impellere, cum et spectandi studium excitat et promittit mulieri garrulae, unde sumat quod aliis possit narrare. Ex parte aliqua huc pertinet Aristot. de Zen. 6 p. 980 a 20 *ὅ γὰρ εἶδε πῶς ἄν τις τοῦτο εἴποι λόγῳ; ἢ πῶς ἂν ἐκείνῳ δῆλον ἀκούσαντι γίγνοιτο μὴ ἰδόντι;* quamquam haec quasi ex adverso posita sunt Theocriteo. Non meum esse puto, quas res grammatica h. l. praebeat difficultates diligenter explanare: id unum licet eximere sermonis vulgaris exemplum, quo ipsa sententia colore quodam vulgari aspergatur, occurrere in pron. relat. *ὧν* bis posito: apte comparat Fritzsch. ad. h. l. quae nostri homines loquntur: „je länger je lieber“ et „wer nich waget wer nich winnet“. cf. Fritzsch. ad IV 39 ed. min. p. 91.

Tertium denique proverbium, quod altero versus 26 hemistichio continetur, illustravit Erasm. II 6, 12; quo hic positum sit sensu docuit Fritzsch.[2]): „otiosis (qualis tu es)

---

1) Scripturam secutus sum, quam cum Brunck. exhibuerunt Mein. Hill.; plura Valcken. ad Adon. p. 155; J. A. Jacobs. ad h. l. I p. 114 et p. 432 ed. tert. cur.; Fritzsch. II p. 42 ed. mai.

2) Secutus est G. Hermannum opusc. V p. 100.

semper feriae, mihi non item, h. e. mihi lente festinandum cet."

Voc. ἑορτά translate usurpatum est, quae metaphora non sine proverbiali specie passim comparet in veterum scriptis: iis, quae Valcken. ad Adon. p. 156 congessit, adiicio Plut. de an. tranqu. VII p. 827 R. παίζων καὶ γελῶν ὥσπερ ἐν ἑορτῇ τὸν βίον διετέλεσε et ibid. p. 865: ἀνὴρ δὲ ἀγαθὸς οὐ πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἡγεῖται.[1])

Vulgatissima omnium gentium ac temporum sententia ea est, quam vetula quaedam mulier in Adon. v. 62 eloquitur: πείρᾳ θὴν πάντα τελεῖται. Tentando omnia mortalibus prospere cedere verbis non longe diversis dixit Herod. VII 9 fin. ὑπὸ πείρης πάντα ἀνθρώποισι φιλέει γίνεσθαι. Idem vult proverbium quod exhibet Enn. ann. 247 Muell. „fortibus est fortuna viris data" sive celebre illud Terentii[2]) „fortes fortuna adiuvat" neque valde alienum est Aristot. pol. V 4 p. 1303 b 29 ἡ δὲ ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ εἶναι τοῦ παντός, Latine expressum ab Hor. epist. I 2, 40. Nostri: „Frisch gewagt ist halb gewonnen".

Annecto Theocr. XV 83 σοφόν τι χρῆμ' ὤνθρωπος. De vulgari locutionis natura dubitari posse non nego. At meam opinionem adiuvant cum circumscriptio ex vulgari sermone petita tum Mosch. III 104 ἄμμες δ'οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροί, οἱ σοφοὶ ἄνδρες. Eandem sententiam plurimis persequitur chorus Soph. Ant. 332 sqs. In libris Theocr. legitur σοφόν τι χρῆμ' ὤνθρωπος: σοφόν τι etiam Eustath. opusc. p. 98, 10 Taf.; σοφόν τοι χρῆμ' ἄνθρωπος praebet schol. Soph. Ant. 335, ex quo τοι pro τι propter metrum commendavit Gerhard. lect. Apoll. p. 151. Secuti sunt omnes fere critici.[3])

---

1) De vers. 24—26 distributione vide Spohn. lect. Theocr. I p. 25 sq.

2) Phorm. I 4, 25 = 203. cf. Theogn. 571; Varr. R. R. I 1, 4; Verg. aen. X 284; Ov. met. X 586; Tib. I 2, 16.

3) Vulgatam paucis tuetur Wuestem. in not. crit. ad h. l. p. 232.

Sed valde dubito, num recte sagacissimi viri correctio in textum sit admissa.

Ac primum quidem ei obstant omnes fere certe optimi codices et Eustathii testimonium, lubricumque videtur adeo unum comprobare auctorem, quem ipsum mendis vacare nemo est qui contendat.

Deinde pron. indef. *τι*, augendae adiectivi nominis potestati inserviens, non modo aptissimum est huic periphrasi, sed etiam usitatissimum et paene necessaria quadam consuetudine additum. Exemplis nonnullis quod dixi communiam: Xen. Cyr. I 4, 8 *τὸν ἔλαφον καλόν τι χρῆμα καὶ μέγα*; Strab. XIII p. 617 *ἡ Σαπφὼ θαυμαστόν τι χρῆμα*; Lucian. dial. mar. VI 1 *πάρθενος πάγκαλόν τι χρῆμα*; Eustath. op. p. 271, 10, *πολύτροπον γάρ τι χρῆμα ὁ ἀνήρ* et p. 169, 18 de Sirenibus: *δοκοῦσι δ'ἄρα μέγα τι χρῆμα ἐκεῖναι εἶναι*; Eunap. p. 87 Boiss. *φίλαυτόν τι χρῆμα ἄνθρωπος*; Nic. Eug. IV 399 *ἀνιαρόν τι χρῆμα τοξότης ἔρως*; schol. Ar. nub. 3 *ἵππος σπάνιόν τι χρῆμα, γυνὴ σπάνιόν τι χρῆμα.*[1]) Pronomen indef. igitur si non exposcitur orationis legibus[2]) certe loco nostro maxime est conveniens.

Atque aliud est idque maximum cur *τοι* quam *τι* maluerint critici: *τι* enim vitiare metrum videtur. At non vitiat mea quidem opinione. Constat ipsum Homerum non plane sprevisse in thesi productionem syllabae finalis ante mutam c. liqu. conjunctam[3]), inprimis articuli *ὁ τό τά*,

---

1) Paulo diversa ratio est, si genetivus circumscripti nominis cum voc. *χρῆμα* conjungitur cf. Theocr. XVIII 4; qua dicendi ratione vulgari frequenter utebantur Herod. et Aristoph. com.: vide Stein. ad Herod. I 36, 2; Kock. ad Ar. nub. 3. — Similiter ceterum scriptores Latini ponere solent ‚res‘ cf. Ov. ex Pont. II 7, 37; Fast. I 103; ‚negotium‘ cf. Cic. ad Qu. fratr. II 13; ad Att. I 12; ‚mers‘ cf. Plaut. mil. 894 cum nota Brixii.

2) Interdum enim omissum est velut Plat. Jon. p. 534 B; Plat. com. II 648 Mein.

3) cf. Ludwich. Hexametr. Unters. in Fleckeis. Jahrb. 1874 p. 235 sq.

quippe qui prope coalescat cum proxima voce, item aliarum quarundam vocularum, quae ad sequens voc. quodammodo spectent. Eandem licentiam bucolici sibi sumpserunt; talis positio debilis legitur in primo versus pede: Mosch. III 102 *ἢ τὰ χλωρά*[1]); in secundo: Theocr. XV 145 *τί χρῆμα;* XVII 75 *τὰ πρῶτα*; XXIV 69 *αἰδόμενός με κρύπτε*[2]); XXV 81 *ᾧ τε χρή* epigr. XXIV 1 *τὸ γράμμα*; in tertio: Theocr. II 53 *τὸ κράσπεδον*; X 44 *τὰ δράγματα*; XX 19 *τὸ κρήγυον*; in quarto: X 30 *τὰ πρᾶτα*; XV 83 *τι χρῆμ'*. Eo minus talia peccare in artem poetae metricam censendum est, quod ipse productione particulae *δὲ* aliquantum sine dubio duriore usus est X 37 *ἁ φωνὰ δὲ τρύχνος*. Quid? quod ne durissimam omnium ultimae vocabulorum syllabae productionem prorsus perhorrescit? qualem legimus Theocr. VII 24 *ἦ μετὰ δαῖτα κλητός*; X 57 *ταῦτα χρή*; XIV 56 *οὔτε πρᾶτος*; XIV 63 *οἷα χρή*.

Denique si reputaveris, quam veri sit simile poetam vulgare occupantem dictum consulto minus diligenter rei metricae habuisse rationem, immo primitivam usitatamque proverbii formam ei praetulisse, quam hexametri versus leges flagitaverint[3]): facile intelleges librorum lectione servata optime restituendum esse *σοφόν τι χρῆμ' ὤνθρωπος*.

Homo casu male adflictus admonetur, ne gravius ferat res adversas Theocr. IV 41—43 *θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες. χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.* Nullius est momenti, quod notantur sententiae in Mant. prov. II 755 et in Stob. flor. 110, 5: at extrema proculdubio proverbialem speciem prae se ferens facit, ut priores

1) Ubi quidem quod pro vulg. *ἢ* iam olim coniecerat G. Hermann. *ἤδέ*, scripsit nunc cum libris quibusdam Ahrens.

2) *με* pro vulg. *ἐμὲ* commode recepit Mein.

3) cf. Mein. epim. de prov. paroem. p. 454 ed. Theocr. Bion. Mosch. tert. cur.

quoque vulgo fuisse tritas existimem. Atque prima per se ipsa habet aliquid vulgare illud *αὔριον* dico pro futuro tempore positum. Similiter dixit Hor. c. II 10, 17 „non si male nunc et olim sic erit“ et consentit prope ad verbum cum Theocriteo Tib. II 6, 19: „sed credula vitam spes fovet et fore cras semper ait melius.“ Ad alterius sententiae vulgarem naturam agnoscendam valet non nihil Petron. sat. 131 „dum vivis sperare licet.“ [1])

Tertia huius loci sententia — de qua disputans ad alterum genus sententiarum proverbialium transeo, illarum scilicet quibus translatio quaedam notabilis inest — eadem, quam sine metaphora praebent Herod. I 32, 20: *ἡ ἑτέρη αὐτέων τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ τὸ παράπαν οὐδὲν ὅμοιον προσάγει πρᾶγμα* et Soph. El. 916 *ἀλλ᾽ ὦ φίλη θάρσυνε· τοῖς αὐτοῖσί τοι οὐχ αὑτὸς ἀεὶ δαιμόνων παραστατεῖ*, non dubium est, quin fluxerit ex Hes. op. 552 *ἄλλοτε μὲν θ᾽ ὕει ποτὶ ἕσπερον ἄλλοτ᾽ ἄησι πυκνὰ Θρηϊκίου Βορέου νέφεα κλονέοντος.* Unde translatio tempestatis serenae aut turbidae ad hominum secundos casus aut adversos vulgari usu adhibita frequenter legitur apud Graecos Latinosque scriptores: Theogn. 25 *οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς οὔθ᾽ ὕων πάντας ἁνδάνει οὔτ᾽ ἀνέχων*; Pind. isthm. IV 57 *ἄλλοτε δ᾽ ἀλλοῖος οὖρος πάντας ἀνθρώπους ὑπαΐσσων ἐλαύνει*; Hor. c. II 10, 15 „informes hiemes reducit Juppiter idem summovet“; Ov. trist. II 142 „nube solet pulsa candidus ire dies.“ Adde vulgare illud „post nubila Phoebus“ nostrorumque hominum proverbium quod est „Auf Regen folgt Sonnenschein.“

Temporum diuturnitate omnia absumi auctor est Choeril. frgt. IX p. 169 Naeck. *πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.* Haec prisca sententiae forma obversata est Bioni frgt. XV *ἐκ θαμινᾶς ῥαθάμιγγος ὅκως λόγος αἰὲν ἰοίσας χὰ λίθος ἐς*

---

1) Vide Burm. ad h. l.; cf. Theogn. 1143; Bion XII 3; Nic. Eug. V 202; fab. Aesop. 132 Halm. quae inscribitur *ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις.*

ῥωγμόν κοιλαίνεται.[1]) Respexerunt plus minusve verba Choerili etiam Plut. de educ. VI p. 5 σταγόνες μὲν γὰρ ὕδατος πέτρας κοιλαίνουσι; Aristaen. ep. I 17 p. 85 Boiss. ῥανὶς γὰρ ὕδατος ἐνδελεχῶς ἐπιστάζουσα καὶ πέτραν οἶδε κοιλαίνειν; Greg. Naz. or. XIX p. 293 C κοιλαίνει τὴν πέτραν ἡ τοῦ ὕδατος ῥανὶς ἀεὶ πλήττουσα; Isid. Pel. II 284 κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχοῦσα. cf. Apost. II 632 cum not. exeg.; Naek. ad Choer. l. c. Alteram huius sententiae formam protulit Simon. frgt. 176 Bergk. ὅ τοι χρόνος ὀξὺς ὀδόντας πάντα καταψήχει καὶ τὰ βιαιότατα. Unde ductum est quod legitur in Anth. Pal. VII 225 ψήχει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος οὐδὲ σιδήρου φείδεται decurtatumque exstat ap. Macar. II 227 ψήξει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος.[2])

Ceterum proverbio de quo agitur etiam scriptores Latini saepenumero sunt usi: cf. Lucr. 1 314 IV 1282; Ov. ex Pont. IV 10, 5. Adscribo Ov. art. am. I 475 „quid magis est saxo durum? quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua."[3])

Vetus erat proverbium pares cum paribus facillime congregari cf. Cic. Cat. M. III 7. Hoc est celebre illud Homeri Od XVII 218 ὡς ἀεὶ τὸν ὁμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. Posteriores aut sequebantur Homeri verba ita, ut modo diligenter vestigiis eius insisterent ipsos numeros

---

1) Proverbiale dictum occupatum esse a poeta verba indicant, quae sunt ὅκως λόγος.

2) Pro ψήχει s. ψήξει scriptum est σήψει ap. Apost. II 641, τήκει in Anth. Pal. IX 704, 1 quas varias scripturas non dubito errori cuidam librariorum tribuere; neque enim video, quemadmodum verb. σήπειν h. e. putidum facere et verb. τήκειν h. c. liquefacere de tempore possint usurpari paulatim deterenti saxum ac dissolventi.

3) Quius loci versum prior. in suum usum mire convertit Isid. Pel. l. c. τί πέτρας σκληρότερον; ἢ τί ὕδατος μαλακώτερον; Choerili sententiam interpretatus.

servantes[1]) sive proverbium paulo breviantes[2]) sive brevissime loquentes ὡς ἀεὶ τὸν ὅμοιον[3]), modo leniter mutarent formam sententiae, ut Plat. symp. p. 195 B ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει[4]) Theophr. char. 31 (29) fin. τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον πορεύεται brevissimeque Plat. Gorg. p. 510 B ὁ ὅμοιος τῷ ὁμοίῳ[5]) aut referebant similitudinem illam tam ad homines quam ad animalia. Si ad homines referebatur similitudo, primum par hominum aetas proverbio fecit locum, quod adhibuit Plat. Phaedr. p. 240 C ἥλικα γὰρ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος τέρπειν τὸν ἥλικα[6]); fusius Diogen. II 33 ἧλιξ ἥλικα τέρπει γέροντα δὲ γέρων[7]); accuratissime Const. Man. I 35 ἧλιξ γὰρ ἥλικα (φασὶ) τέρπει καὶ κόρη κόρην καὶ γραῦς τρικόρωνος τὴν γραῦν καὶ πέμπελον ὁ γέρων. Alia deinde quae spectant ad hominum mores vitamque praebent Plut. virt. doc. posse VII p. 728 οὔτε ἀδελφὸς ἀδελφῷ πολεμεῖ οὔτε φίλος φίλῳ διαφέρεται et Ov. ex Pont. II 5, 61 „rusticus agricolam miles fera bella gerentem, rectorem dubiae navita puppis amat.“ Quamquam hic observandum est contrarium quoque praedicari, quale de hominum invidia eiusdem officii munus persequentium Hes. op. 25 καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.[8]) — Si similitudo illa referebatur ad animalia

---

1) Plat. Lys. p. 214 A; Arist. Eth. Eud. VIII 1 p. 1235 a 6; cf. Diogen. I 253; Mant. prov. II 746.

2) Arist. Eth. Meg. II 11 p. 1208 b 8.

3) Arist. Rhet. I 11 p. 1371 b 12.

4) Verbo προσπελάζειν usus est Aristaen. ep. I 10 p. 41; χαίρειν Eustath. op. p. 63, 20; πλησιάζειν Arsen. II 561.

5) cf. Mant. prov. II 765.

6) Idem legitur in Arist. Rhet. l. c.; Aelian. nat. an. I 46; Aristaen. I 18 p. 86; schol. Od. III 136.

7) Quae verba e iusto hexametro petita esse docuit schol. Plat. 314 Beck. ἧλιξ ἥλικα τέρπε γέρων δέ τε τέρπε γέροντα. Ex heroico etiam fluxit quod servavit Macar. II 215 τερπνὸν χρῆμα ἀλλήλοις ἡλικιῶται.

8) cf. Arist. Eth. Eud. l. c.; Plut. de an. tranqu. VII p. 849; App. prov. I 423; Macar. II 176.

ea maxime adhibebant veteres, quae constat conventuum esse amantia congregataque plerumque conspici velut corvos Arist. Eth. Meg. l. c. *καὶ γὰρ κολοιός φασι παρὰ κολοιὸν ἱζάνει.*[1]) Ex eadem mente intelligenda sunt ea quae protulerunt Arist. Eth. Eud. l. c. *ἔγνω δὲ φώρ τε φῶρα καὶ λύκος λύκον*; Epich. ap. Diog. L. III 16 *καὶ γὰρ ἁ κύων κυνὶ κάλλιστον εἶμεν φαίνεται καὶ βοῦς βοΐ, ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστόν ἐστιν, ὗς θ' ὑΐ*; Theocr. IX 31 *τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος μύρμακι δὲ μύρμαξ, ἴρηκες δ' ἴρηξιν.*[2])

Jam appono Theocr. XVI 18 *ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα* h. e. remotius abest tibia quam genu. Usitatiorem proverbii formam quae erat *γόνυ κνήμης ἔγγιον* usurpant Arist. Eth. Nik. IX 8 p. 1168 b 6 et Athen. IX p. 383 B.; *γόνυ κνήμης* exhibet Cic. ep. ad fam. XVI 23 p. 266 a. Paulo aliter Latini homines aeque ac nostri loquuntur: „tunica proprior palliost."[3]) Explicat proverbium schol. Theocr. in hanc rationem: *ἐπὶ τῶν ἀγαπώντων ἑαυτοὺς καὶ ἀγόντων προτιμοτέρους εἶναι ἑαυτοὺς τῶν ξένων.* Similiter interpretantur Zenob. I 57 et Diogen. I 229 tribuuntque iuveni, qui cum fratrem vidisset et quendam e propinquis in proelio Chaeronensi armis congressos, illum dicitur adiuvasse proverbium hoc elocutus. Ex quo intelleges latius aliquanto patere proverbium quam voluerit schol.; negat enim parem omnium habendam esse rationem, sed certum quendam ait inter eos, quos amemus, ordinem existere ita, ut „cives potiores quam peregrini propinqui quam alieni" sint, ut verbis utar Ciceronis Lael. V 19; quorum quo quis proprius accedat amicitia affinitateve, eó diligentius a nobis adiuvetur et defendatur necesse est, cum res adversae eum

---

1) Proverbium integre prolatum hunc explevit senarium: *ἀεὶ κολοιὸς παρὰ κολοιὸν ἱζάνει*: cf. Zen. I 44; Mac. II 138; Apost. II 249.

2) Theocritum imitati sunt Greg. Naz. carm. III vol. II p. 57 C et Nic. Eug. V 217.

3) Plaut. trin. V 2, 30.

afflixerint.[1]) Comparari potest Soph. Oed. C. 309 τίς γὰρ ἐσθ᾽ ὃς οὐχ αὑτῷ φίλος.[2])

In libris Theocr. scholl. ap. Arsen. II 600 pro κνήμα scriptum est κνάμας κνήμας κνήμης; qua recepta scriptura cum in contrarium sententia male verteretur, recentiores κνάμα cum cod. P. aut κνήμα cum edd. Junt et. Call. supposuerunt. At primum talis correctio per se non omni vacat dubitatione ac scrupulo.[3]) Dubitationem meam auget, quod una ceteris nota fuit species γόνυ κνήμης ἔγγιον s. γόνυ κνήμης. Postremo locutio Theocritea et brevitatem illam proverbiorum maxime propriam valde desiderat nec duritate quadam omnino absolvenda est.[4]) Quare vide an sanetur locus difficilis, si leni cum mutatione scribimus εἶ pro ἤ s. ἦ adhibitaque interpunctione sic vulgatam corrigimus: ἀπωτέρω εἶ · γόνυ κνήμας. Intellege formam proverbii a Cicerone laudatam usitatissimamque sine dubio; illud vero quod est ἀπωτέρω εἶ similiter enuntiatum est a poeta atque Demosth. dixit p. 1066, 26 ἀπωτέρω γένει ὄντες. Idem mihi videtur legisse in libro aliquo schol. Theocr. Verba huc spectantia haec sunt: ἐνήλλακται δὲ ἡ παροιμία εἰ λεχθήσεται χωρὶς ὑποδιαστολῆς[5]) et infra: εἰ δὲ μετὰ ὑποδιαστολῆς οὐκ ἐνήλλακται[6].)

Cum sententiis proverbialibus artissime cohaerent locu-

---

1) cf. Zenob. I 57 cod. C: Apost. II 351.

2) cf. Eur. Med. 86; Menand. mon. 407 et IV 355 Mein; Ter. Andr. II 5, 16 et IV 1, 12.

3) Una haec si quid video istiusmodi depravationis explanatio eaque valde infirma restat, ut librarios usitatiore proverbii forma deceptos esse suspicemur.

4) Quae omnia nescio an respexerit Fritzsch; posuit enim II p. 66 ed. mai. e coniectura εἰ pro ἤ s. ἦ ut haec esset sententia: „accipies (sc. auxilium) si genu tibia remotior erit, h. e. numquam.“ Nimis quidem arcessite et cum ellipsi indicativi fut. vix ferenda!

5) ὑποδιαστολή = ὑποστιγμή = comma secundum Quintil. XI 3, 35.

6) Haesitavit in h. l. Ahrens. bucol. Gr. II p. 550 adn. ad schol.

tiones quaedam, quas optime mihi videor nominare praecepta vulgaria; non ea dico, quae prolata a philosophis sive e sapientium disciplinis profecta, saepenumero occupantur a scriptoribus, ut auctoritas gravitasque orationi apparetur. Talia sunt *μηδὲν ἄγαν* et *γνῶθι σεαυτόν*; quamquam haec et similia paroemiographi notaverunt, merito tamen pro proverbiis haberi non possunt. Neque huc referendum est illud *μὴ μέγα λέγε*, quod iam ab Homeri[1]) aetate passim invenitur in veterum scriptis, obvium in Theocr. X 20 *μὴ δὴ μέγα μυθεῦ*. Quod tametsi allatum video a Diogen. I 280; Mac. II 188; Arsen. II 525 et explicatum ab Erasm. II 2, 52, formulam maluerim appellare, quae admoneat homines, ut Nemesim veriti nimis gloriandi voces caveant. Eas solum locutiones pertractabo h. l., quae sententiam vere vulgarem modo imperativo complectantur.

Quo in genere primum est Theocr. XV 90 *πασάμενος ἐπίτασσε*. De vulgari dicto non esse ambigendum Plaut. evincit trin. IV 3, 54 „emere meliust quoi imperes", et Pers. II 4, 2 „emere oportet quem tibi obedire velis" cf. Men. 444 et 1101. Is coercetur proverbio, qui nimia dominandi cupiditate agitatus in eos graviter invehitur, in quos nullum habet imperium.[2]) Praeivit eandem sententiam per negativum enuntiatum persecutus Soph. Oed. C. 839 *μὴ ἐπίτασσ' ἃ μὴ κρατεῖς*. cf. Ai. 1107.

Alterum praeceptorum vulgarium exemplum exstat Theocr. V 61 *τὰν σαυτοῦ πατέων ἔχε τὰς δρύας*. Extrema rei praesenti accommodata sunt; in eo autem quod est *τὰν σαυτοῦ πατέων* locutio vulgaris mihi videtur delitescere[3])

1) Od. XXII 288.

2) cf. Spohn. lect. Theocr. II p. 4; perverse Erasm. IV 4, 24.

3) Proverbium inesse loco suspicatus est Wuestem. ad. h. l. p. 84. cf. Erasm. IV 4, 17.

significata quidem ellipsi minus usitata vocis *χώραν*.[1]) Idem intellexit schol.: *τοῦτο δὲ ἐκ τῆς παροιμίας Σπάρταν ἔλαχες Σπάρταν κόσμει*.[2]) Videtur igitur attigisse Theocr. vetus quoddam proverbium huius fere formae: *τὴν σεαυτοῦ πάτει* s. *κόσμει*. Hanc meam opinionem comprobant Theod. Hyrt. ep. in Manuscr. Par. VI p. 25 *εἰ δ' οὖν κατὰ χώραν μενῶ τήνδ' ἐμαυτοῦ πατῶν καὶ κοσμῶν σπάρτον ἣν ἔλαχον* et Synes. ep. 101: *ἀλλὰ κόσμει φασὶν ἣν ἔλαχες Σπάρταν. κἀγώ μοι δοκῶ τὴν εἱμαρμένην ἀγαπήσειν τε καὶ κοσμήσειν τὴν αὐτὸς ἐμαυτοῦ*. cf. Plut. de exs. VIII p. 375. Usurpabitur proverbium, si quem iubemus in suo se tenere loco suisque agendi terminis nec condicione sua male contentum appetere, quae fortuna negaverit. Praeclare enim Arist. vesp. 1431 *ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην*.[3]) Ceterum nec formam Theocriteo disparem nec sensum valde diversum habet quod notavit Macar. II 217: *τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα*; cuius quae sit vis aperit Plut. educ. puer VI p. 46: *ἐγγυᾶσθαι δὲ δεῖ τοῖς υἱοῖς γυναῖκας μήτε εὐγενεστέρας πολλῷ μήτε πλουσιωτέρας· τὸ γὰρ τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα σοφόν*.[4]) Affine est etiam Chilonis ap. Boiss. anecd. I 138: *τῆς ἰδίας οἰκίας προστάτει*.

Jam unum restat vulgare quod dixi praeceptum Theocr. XI 75 *τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε· τί τὸν φεύγοντα διώκεις*; quod in adagiorum corpus recte recepit Apost. II 656. Proverbium etiam schol. videtur agnovisse, explicationis loco allegans Hes. frgt. 186 Goettl. *νήπιος ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει*, proverbialiter adhibitum a Plut. de garr. VIII p. 12. Fruamur igitur, ait versus Theocr., bonis,

---

1) Eadem occurrit Theocr. XXII 59 *τῆς σῆς γε μὲν οὐκ ἐπιβαίνω*; interdum etiam ap. Thuk.; cf. I 44, 1; IV 97, 2; VI 7, 1.

2) cf. Erasm. II 5, 1; Koch. p. 63.

3) Comici verba Latine expresserunt Cic. Tusc. disp. I 18, 41 et Hor. epist. I 14, 44. Similia affert Bauck. p. 15. Adde Ov. trist. III 4, 25: „intra Fortunam debet quisque manere suam.“

4) cf. Diog. L. I 80 et not. Menagii ad h. l.; Ov. Heroid. IX 32.

quae nobis parata sunt, quae sine labore periculoque possumus assequi; illa omittamus, quae non sunt in promptu, neve ad inanes cupiditates aut vana somnia animos frustra intendamus. Hanc sententiam bene illustrant Pind. Pyth. III 21 ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀνθρώποισι ματαιότατον ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια παπταίνει τὰ πόρσω μεταμώνια θηρεύων ἀκράντοις ἐλπίσιν; Avian. fab. XX 17 „incerta pro spe non munera certa relinque.“ 1) Hactenus de totius loci sententia; nunc videamus singula. Fritzsch. I p. 371 ed. mai. ὄϊν vel αἶγα ad voc. παρεοῖσαν, κριόν vel τράγον ad voc. φεύγοντα subaudiendum censuit, ut unum tantum pastorale proverbium contineretur versu. At recte quidem illud; fallitur vir doctus in alterius hemistichii explicatione, quia vocabulo κριόν vel τράγον adiecto sententiam recte stare persuadere mihi non possum. Sunt enim ista Polyphemi verba colloquentis secum ipsumque adhortantis, ne frustra Galatheae instet spernenti: „mulge capram quae tibi in manu est; quid arietem fugientem insequeris?“ nimirum quem licet adeptus sis mulgere tamen non possis. Quodsi refers ad rem, ita fere sensus male procedit: „quid puellam appetis quae longe te fugit, cuius amor, etiamsi eius fieres particeps, ipse per se tibi esset inutilis?“ — Non est dubium, quin poëta ut sententiam ad Hesiodi exemplar conformaret, duas locutiones proverbiales in unum congesserit 2): quarum altera per se quidem plana dilucidior fit scholiastae hac adnotatione: κατὰ τὴν παροιμίαν · τὸν θέλοντα βοῦν ἔλαυνε 3) · ἤγουν τὴν ἀγαπῶσάν σε φίλει. Assimilo Cic. Cat. M. IX 27 „quod est eo decet uti et quidquid agas agere pro viribus.“

---

1) Imitatus est Avianus mea aestimatione Sallust. Cat. 41, 2 „pro incerta spe certa praemia.“

2) cf. J. H. Voss. Anmerk. und Randgloss. p. 188; Hiller. p. 160.

3) Legitur hoc in Mant. prov. II 775. Vide Zenob. I 70: εἰ μὴ δύναιο βοῦν ἔλαυν' ὄνον · ἐπὶ τῶν ὃ κατὰ δύναμιν ἔχουσι πράττειν παρεγγυωμένων.

Quod autem altero profertur hemistichio, id eo quo positum sit loco proverbialiter esse occupatum evidenter demonstrat accusativus masc. generis de Galathea intelligendus.[1]) Cognatae sunt locutiones *διώκειν τὰ φεύγοντα*,[2]) *πετόμενον διώκειν*,[3]) *ἀκίχητα διώκειν*.[4])

Neque tamen de venatorio cogitandum est proverbio,[5]) sed optime refertur[6]) locutio ad heroicum quendam vulgarem[7]) qui legitur Theocr. VI 17 *καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.* Dicitur versus de mira amantium indole; saepenumero enim illi nulla ut videtur mente nulla ratione hominem amatum repudiant, ubi ultro se offert; ubi ipse repudiat, eo flagrantius sequuntur. Quos mores similiter describunt Sapph. frgt. I 21 *καὶ γὰρ αἰ φεύγει ταχέως διώξει;*[8]) Callim. epigr. 31, 5 = Anth. Pal. XII 102: *χοὐμὸς ἔρως τοιόσδε · τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἶδε τὰ δ'ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται;*[9]) Mosch. VI 5 *ὅσσον γὰρ τήνων τις ἐμίσεε τὸν φιλέοντα τόσσον ὁμῶς φιλέων ἠχθαίρετο;* Plaut. trin. 67 „quom inopia est cupias: quando eius copiast tum non velis"; Ov. amor. II 19, 36 „quod sequitur fugio, quod fugit ipse sequor." cf. Ter. Eun. 813; Ov. amor II 9, 9;

---

1) Varietas generis in vocibus *παρεοῖσαν* et *φεύγοντα* obvia, cui vere duorum diversorumque proverbiorum elatio dedit locum, tanto scrupulo mirum in modum imbuit Greverum (Kleine Beitr. z. Erkl. u. Krit. d. Idyll. Theocr. Bremen 1830 p. 90), ut spurium diceret versum ob nimiam duritatem impolitiamque.

2) cf. Boiss. anecd. I 357.

3) Plat. Euth. p. 4 A; Arist. metaph. III 5 p. 1009b 38.

4) Eustath. ad. Hom. p. 1096, 7; op. p. 226, 8 et p. 287, 41; Tzetz. antehom. 138; Boiss. anecd. I 395 et I 357. Similia collegit Leutsch. ad Apost. II 569 et ad Arsen. II. 677; Koch. p. 20 sq.

5) Uti voluit Borsdorf. comment. in Theocr. XI p. 14 (Jauer 1874), supplendum voc. *θῆρα* ratus.

6) cf. Wuestem. p. 177.

7) Versum totum suum fecit Mac. in Anth. Pal. V 247, 3.

8) Respexit hoc. Aristaen. ep. II 16 p. 174.

9) Verba Callim. Latine vertit Hor. sat. I 2, 108.

II 19, 3; art. am. I 717; Plut. ap. Stob. flor. 64, 31. — Ceterum significationem verborum *φεύγειν* et *διώκειν* in re amatoria planam faciunt Plat. symp. p. 184 A *τοῖς μὲν* (sc. *ἐρασταῖς*) *διώκειν παρακελεύεται* (sc. *ὁ νόμος*), *τοῖς δὲ* (sc. *παιδικοῖς*) *φεύγειν* et Plut. de am. mult. VI p. 355 *μηδὲ φιλεῖν τοὺς διώκοντας*.

---

## Caput alterum.

# De proverbiis aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis.

### I. Metaphorae ab animalium rerumque inanimarum natura profectae.

Primum locutiones quasdam percensebo ab insectarum natura depromptas. Notabilem locum in vita agricolarum maximeque pastorum obtinet cicada. Quarum altera minor muta est, maior altera strepitum facit vocaturque *ἠχέτης*.[1]) Strepitum enim quem Musae ei donasse dicuntur a Plat. Phaedr. p. 259, pro cantu accipiebant veteres.[2]) Atque etiam celebratur cantus eius vocisque suavitas a plurimis antiquitatis scriptoribus.[3]) Nemini igitur mirum videbitur quod cicadarum cantus abiit in proverbium. Vide Apost. II 668 *τέττιγος εὐφωνότερος· ἐπὶ τῶν μελῳδούντων.* Hoc suo more expressit Theocr. I 148 *τέττιγος ἐπεὶ τύγα φέρτερον ᾄδεις.* Eodem spectant Himer. ecl. XII 5 p. 198 Wernsd. *ἐνίκησα μὲν ὑπὸ σοὶ κριτῇ κατὰ τὴν θερινὴν ὥραν τὸν τέττιγα* et Calp. XI 41: ‚nec aestivis cantu concedo cicadis.'

1) Plin. hist. nat. XI 92.

2) Eustath. op. p. 169, 22: *ἤρεσεν ἀνθρώποις εἰς μελῳδοὺς ἐγκρῖναι καὶ τὸν τέττιγα.* cf. Arist. hist. an. IV 9 p. 535 b 6; Aelian. I 20.

3) Hom. Il. III 151; Hes. op. 580; Alc. frgt. 39, 3; Anacr. 32; Plat. Phaedr. p. 258 E et p. 230 C; Aristoph. pac. 1159; av. 49 et 1095; Theocr. XVI 94; Aristaen. ep. I 3 p. 17; Synes. episc. hymn. I 45; Greg. Naz. or. p. 34 D Mor.; Verg. ecl. II 12; Georg. III 328; Eth. M. p. 755, 4.

Pariter ac cicada in deliciis fuit veteribus locusta. Cum autem ranae vocem quidem continuo per aestatem emittere soleant, neque vero cantus earum pro grato modulatoque habeatur a pastoribus[1]), commode Simichidas Theocriteus ut multo inferior Sicelida poëta vel Phileta ipse de se dicit VII 41 *βάτραχος δέ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.* Quam locutionem non pro certo affirmaverim proverbialiter fuisse dictam a pastoribus de eis qui nullo modo quod ad vocem attineat cum aliis possint componi. Certior est ratio in simili comparatione Theocr. V 29 *σφὰξ βομβέων τέττιγος ἐναντίον.* Recepit hoc Arsen. II 650; vide schol. M: *παροιμία ἐπὶ τῶν ἐλαττόνων ἐριζόντων πρὸς κρείττονας.* In proverbiorum numero collocare Theocriteum suadet etiam Diogen. I 183 *αὐλὸν σάλπιγγι συγκρίνεις · ἐπὶ τῶν τὰ ἐλάττω τοῖς μείζοσι συγκρινόντων . τέττιγι μέλιτταν συγκρίνεις · κατὰ φωνήν.*

Ad virginem denotandam deformem exoletam maceram nomen locustae transfertur Theocr. X 18 *μάντις τοι τὰν νύκτα χροϊξεῖται καλαμαία. μάντις* enim *καλ.* teste schol. agrestis quaedam locusta est; cuius nomine vulgari metaphora significari feminam quae in virginitate senium contraxerit proverbium docet quod servavit Zenob. I 56: *γραῦς σέριφος · ἡ ἐν παρθενίᾳ γεγηρακυῖα, ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ἀρουραίας ἀκρίδος ἣν καλοῦσι κατὰ Σικελίαν γραῦν σερίφην καὶ μάντιν.*

A formicis petitum est, quod de ingenti hominum frequentia — nunquam enim illae nisi infinitum fere numerum efficientes conspiciuntur — dicit Theocr. XV 45 *μύρμακες ἀνάριθμοι καὶ ἄμετροι.* Non ignoravit poeta proverbium quod est *ἀγαθῶν μυρμηκιά.*[2]) Formicarum acervis, quos

1) cf. Mosch. III 108.
2) cf. Eustath. op. p. 194, 40; Theod. ap. Boiss. anecd. I 254; Zenob. I 4.

construunt saepenumero ad summam altitudinem, divitiae illustrantur inutiles frustraque congestae „quibus qui eas congessit indormit“[1]) Theocr. XVII 106 *οὐ μὰν ἀχρεῖός γε δόμῳ ἐνὶ πίονι χρυσὸς μυρμάκων ἅτε πλοῦτος ἀεὶ κέχυται μογεόντων.* Eodem consilio formicarum *ἄφενος* commemoratur in Anth. Pal. I p. 119 Jac. — Contra Hor. sat. I 1, 34 formicarum laborem continuumque opes parandi studium hominum inani divitiarum cupiditati opponit: illae enim et desinunt per hiemem laborare et bene fruuntur paratis, homines non ita.[2])

Ex avium natura unam vulgarem metaphoram duxit Theocr. XV 87 *παύσασθ', ὦ δύστανοι, ἀνάνυτα κωτίλλοισαι τρυγόνες.* Turturis nomine si mulieres valde loquaculas significat poeta, proverbii meminit quod est *τρυγόνος λαλίστερος.*[3]) Qua re turturi inprimis veteres tribuerint loquacitatem, exponit Aelian. hist. an. XII 10 *ἡ γάρ τοι τρυγὼν καὶ διὰ τοῦ στόματος μὲν ἀποπαύστως φθέγγεται, ἤδη δὲ καὶ ἐκ τῶν κάτοπιν μερῶν ὥς φασι πάμπλειστα.*[4]) Turturi adiungitur *κερκώπη* ab Eust. ad Hom. p. 643, 34 *τρυγὼν ἣν λαλιστάτην καθὰ καὶ τὴν κερκώπην παροιμία οἶδεν.* Alia addit Alex. ap. Athen. IV p. 133 C *σοῦ δ' ἐγὼ λαλιστέραν οὐπώποτ' εἶδον οὔτε κερκώπην γύναι οὐ κίσταν οὐκ ἀηδόν' οὔτε τρυγόν' οὐ τέττιγα.*[5])

Jam de metaphoris disseram a quadrupedum natura sumptis.

---

1) Verba sunt Jacobsii in Animadv. ad Anth. Pal. I 1 p. 382.

2) Ad formicae Indicae studium auri investigandi cumulandique refert formicarum divitias de eis adhibitas quas homo nimis parcus sibi congesserit schol. *κ.* p. 97 Ziegl.

3) Obvium est prov. ap. Alciphr. ep. III 29, 7; Eust. ad Hom. p. 751, 13; Clem. Alex. Strom. I 3, 22; cf. Erasm. I 5, 30.

4) Secuti sunt Zenob. I 163; Diog. I 311; Apost. II 694. cf. Eust. ad Hom. p. 751, 13; schol. Il. IX 311.

5) Cicadae garrulitas denotatur etiam ab Arist. ap. Athen. VI p. 238 D et Julian. ep. 59 p. 445 D.; hirundinem commemorat Theophr. char. VI (VII) 4.

Leaenae nomen poetae transferre solent ut mulierum crudelitas subiiciatur oculis;[1]) similiter amoris saevum durumque animum describit Theocr. III 15 *βαρὺς θεός · ἦ ῥα λεαίνας μαζὸν ἐθήλαζε δρυμῷ τέ νιν ἔτρεφε μάτηρ*[2]) et *κακᾶς ἀνάθρεμμα λεαίνας* amorem vocat Theocr. XXIII 19. Talia non omni vacare proverbiali colore arguunt etiam poetae Latini: cf. Cat. 60, 1 et 64, 154; Tib. III, 4, 90; Ov. met. IX 615; Verg. aen. IV 366.

Cum fele comparatur ancilla quaedam segnis nec satis alacris Theocr. XV 28 *αἱ γαλέαι μαλακῶς χρῄσδοντι καθεύδειν.* Adnotavit ad h. vers. Triclin. *παροιμιῶδες τοῦτό φησι* et schol. r.: *ὥσπερ αἱ γαλαῖ μαλακαὶ οὕτω καὶ σὺ εἶ μαλακή.* Sensus igitur est: felium instar molliter dormire vis h. e. nihil agere totamque te quieti dare.[3])

Vis amatoris vehemeter amato instantis illustratur naturali animalium impetu Theocr. X 31 *ἁ αἷξ τὰν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει, ἁ γέρανος τὤροτρον, ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι.*[4]) Quod dicit poeta lupum sequi capellam, eo tetigit sine dubio heroicum quendam vulgarem, cuius integram formam servavit Plat. Phaedr. p. 241 C *ὡς λύκοι ἄρν' ἀγαπῶσ' ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί.* Similiter vulgare hoc dictum extulerunt schol. Il. I 207 *οὐ πᾶς δὲ ὁ φιλῶν κήδεται ὡς λύκος ἄρνα*; schol. Il. XXII 263 *ἐντεῦθεν ἡ παροιμία φησίν · οὕτως φιλοῦσι λύκοι τὰς ἄρνας ὡς φιλέουσι ἀντερασταί*;[5]) Aristaen. ep. II 20 p. 189 *ὡς γὰρ λύκοι τοὺς*

1) Ex tragicis quaedam collegit Koch. p. 23.

2) H. l. laudavit Eust. ad Hom. p. 1054, 53, recepit Arsen. II 548, imitatus est Nic. Eug. II 90.

3) cf. Spohn. lect. Theocr. II p. 33; Wuestem. ad h. l. p. 224; Fritzsch. II p. 43 ed. mai. Proverbialem locutionis speciem, laudatus quidem ab Hiller. p. 181, frustra conatur tollere G. Herm.

4) Theocr. imitati sunt Nic. Eug. V 220; Verg. ecl. II 63; Calp. XI 26.

5) *B* V: *ἄρνα φιλοῦσι λύκοι νέον ὡς φιλέουσι ἐρασταί* numeris non ita verbis heroici restitutis.

ἄρνας ἀγαπῶσιν οὕτω τὰ γύναια ποθοῦσιν οἱ νέοι. Unde voces λύκος et ἄρην ad homines translatae illa de amatore haec de amato usurpantur in Anth. Pal. XI 216 et XII 250. Cognata locutio legitur ap. Athen. p. 319 C: ἕπεται πέρκη μελανούρῳ. In eadem re versatur proverbium, quod eorum stultitiam deludit qui lupum ovi custodem faciunt seu lupo ovem credunt.[1]) Cum formidine autem quam subitus lupi conspectus ovi solet iniicere pavida puellae mens confertur Theocr. XI 22 φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα. Haec comparatio tam trita fuit usu[2]) ut non immerito proverbialem eam dicat fortasse quispiam. Affine est quod legitur in Boiss. anecd. I 27 δεδοίκασι σύννοιαν οἱ δαίμονες ὡς λαγωοὶ τοὺς κύνας.

Ex eodem fonte proverbium notissimum originem duxit quod significat ἀδύνατον quidpiam et praeposterum legiturque ap. Arist. pac. 1076 πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.[3]) Sensum non longe disparem praebet locutio proverbialis ut mihi videtur, qua usus est Theocr. IV 11 πείσαι κεν Μίλων κὰτ τὼ λύκω ἀμνάδα λυσσῆν. Repugnaret certe naturae legibus si agna rabere in lupum auderet. Proverbialem versus naturam haud pauci recentiorum viderunt cf. Erasm. IV 4, 15; Ameis. adnot. p. 30 sq.; Rumpf. observ. in id. IV p. 4—14; G. Herm. praef. Soph. Schaef. 1810 p. 15; Ahrens. in Philol. VII p. 432; in singulis vero verbis explicandis et emendandis alius aliud proposuit.[4]) De rebus quae nullo modo fieri possunt seu de permutato naturae ordine dicitur etiam Theocr. V 124—127; I 132—136 ubi quod v. 135

1) Herod. IV 149; Math. ev. X, 16; Plaut. Pseud. I 2, 8; Ter. Eun. V 1, 16; Cic. Phil. III 11, 27; Ov. art. am. II 364.

2) Hor. epod. XII 25; Ov. art. am. I 118; met. I 505.

3) cf. Bauck. p. 18.

4) Scripturam exhibui quam Aurati Scaligeri Eichstadtii coniecturas persecutus Fritzsch. posuit in textu. De curis virorum doctorum resarciendi scripturae detrimenta vide Rumpf. l. supra c.; Fritzsch. I p. 141 sq. ed. mai.

legitur *καὶ τὼς κύνας ὤλαφος ἕλκοι* in proverbio fuisse suspicor quoniam cervi natura pertimida proverbii fere locum obtinet; sic Hom. Il. I 225 *οἰνοβαρὲς κυνὸς ὄμματ' ἔχων κραδίην δ' ἐλάφοιο.*[1])

E superstitione quam de lupi natura vulgo veteres habebant locutio proverbialis profecta est quam adhibuit Theocr. XIV 22 *οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες;*

Haec verba, quibus homo quidam malitiosus puellam perpetuo silentio per convivium assidentem allocutus est, male intellexit Apost. II 511 *λύκον εἶδες· ἐπὶ τῶν ἀφνίδιον ἀχανῶν γενομένων* explicationis loco allegans Ael. nat. an. IV 15, neque melius schol. *κ* p. 85 Ziegl. *παροιμία ἐπὶ τῶν βλεπόντων λύκον καὶ ὠχριώντων;* propius vero schol. rec.: *παροιμία δέ ἐστι τὸ λύκον εἶδες ὅτι οἱ λύκον ἰδόντες δοκοῦσιν ἄφωνοι γίνεσθαι.* Homines inopinato luporum conspectu cum prior lupus hominem viderit vocibus privatos obmutescere testantur Plin. hist. nat. VIII 80; Donat. ad Ter. ad. IV 1, 21; Serv. ad Verg. ecl. IX 54; Solin. Polyh.[2]) II, 35 Goetz.; anon. in Cram. anecd. IV p. 268; Geopon.[3]) XV 1, 7 p. 1038 Nicl. Hanc superstitionem pervulgatam adagiumque inde ductum in animo habuit Plat. de rep. p. 336 D *προσβλέπων αὐτὸν ἐφοβούμην καί μοι δοκῶ εἰ μὴ πρότερος ἑωράκειν αὐτὸν ἢ ἐκεῖνος ἐμέ ἄφωνος ἂν γενέσθαι.* Memor Theocritei usurpavit proverbium Verg. ecl. IX 53 „vox quoque Moerim iam fugit ipsa; lupi Moerim videre priores." Monendum autem est, ne respicientes hanc bucolici Latini imitationem Plinium aliosque quos attuli scriptores scriptum fuisse suspicemur a Theocr. *λύκος εἶδε σ'*[4]):

---

1) Extrema recepit Apost. II 484 *κραδίην δ' ἐλάφοιο: ἐπὶ τῶν ἄγαν δειλῶν.*

2) Hic de Italicis solum lupis cogitandum esse inepte opinatur.

3) Ubi additum est perverse: *ὀφθεὶς δὲ πρότερος ὁ λύκος αὐτὸς ἀσθενέστερος γίνεται.*

4) Ita Schaefer. Ahrens.

omisso enim quod vulgatam omnes libri omnia testimonia uno tenore exhibent: quod elisio voculae σε h. l. non omni caret offensione[1]): certe proverbium a poeta consulto convertitur et accommodatur ad puellae de qua dixi amatorem, cui Λύκος erat nomen.[2]) Eandem ceterum originem ostendunt Diogen. I 241 εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθης: ἐπὶ τῶν ὧν ἂν μνησθῶσιν ἐγγὺς παραγινομένων et Latinorum illud quod est „lupus in fabula;“[3]) nam „silentii indictio est in hoc proverbio“ (Donat. l. c.) et usurpatur „quotiens supervenerit ille de quo loquimur et nobis sui praesentia amputat facultatem loquendi.“ (Serv. l. c.).

Proverbialem habitum prae se fert Theocr. V 37 ἴδ' ἁ χάρις ἐς τί ποθέρπει. θρέψαι καὶ λυκιδεῖς θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωντι[4]); qua locutione quid voluerit poeta patet: significat, cum parem hominem faciat luporum catulis et canibus, peringratum eius animum naturamque nullo studio nullo beneficio emolliendam aut in melius commutandam.[5]) Quod de lupis dicit Theocr. idem respexit Alc. epist. III 24 init. λύκον ἔοικα τρέφειν. Videtur hoc referendum esse ad fabulam quandam Aesopicam,[6]) cuius forma quidem alia est alio loco, summa sententia eadem permanet. Ad sensum facit aliquid Apost. II 558 ὁ λύκος τὴν τρίχα οὐ τὴν γνώμην ἀλλάττει.[7]) Difficilius res se habet cum canibus. „Canes enutrire“ proverbium fuisse ab Actaeone depromptum auctor

---

1) Fritzsch. II p 23 ed. mai.

2) Sic locum intellexit schol. Gen. b. — cf. Erasm. I 7, 86; J. H. Voss. ad Verg. ecl. IX 54 (Gymn. Progr. Kreuznach 1831 p. 16); Wuestem. p. 206; Fritzsch. II p. 23 ed. mai.

3) Plaut. stich. IV 1, 71; Ter. ad. IV, 1, 21; Cic. ad Att. XIII 33 p. 216 a.

4) Landant hoc Stob. flor. app. 31, 7; Arsen. II 458.

5) cf. Anth. Pal. IX 47, 4; Hor. epist. I 10, 24; Prop. IV 8, 20; Juven. XIII 239; Senec. de ir. II 20.

6) cf. fab. Aesop. 373—75 Halm; Anth. Pal. IX 47; Ahrens. Philol. VII p. 438.

7) Sueton. Vesp. 16: „vulpes pilum mutat non mores.“

est schol. κ p. 41 Ziegl. Hic enim narratur, cum Dianae lavanti supervenerit[1]) aut Semelen contra Jovis voluntatem petiverit[2]), ab irata dea in cervum permutatus vel cervi corio indutus a suis ipsius canibus venaticis esse dilaceratus. In eo autem permulti[3]) haesitant, quod ut proverbium ἐπὶ τῶν ἀχαριστούντων τοῖς εὐεργέταις positum esse et schol. κ exposuit et res ipsa videtur demonstrare ita canes illi Actaeonis non ingrata mente sed inscientes et naturali furore excitati dominum dilaniaverunt.[4]) At minime opus est scripturam libris traditam vexare coniecturis aut optimi scholiastae explicationem plane reiicere. Neque enim tam mala gratia hominis ut mihi quidem videtur proverbio quod est κύνας τρέφειν significatur quam periculum officii in eos beneficia conferendi, qui facile mutatis rebus ac tempore inimicissimi in benefacientem exstiterint. Idem valere puto proverbium quod est „viperam in sinu habere“.[5]) Adiicio ceterum quod scriptum video in Stob. flor. 14, 12: ὥσπερ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν τρεφομένων ὑπ' αὐτοῦ κυνῶν ἀπέθανεν οὕτως οἱ κόλακες τοὺς τρέφοντας καταλύουσιν. Quod Theocr. per proverbium brevius, idem hic per similitudinem accuratius exposuit.

---

1) schol. Theocr.; Ov. met. III 174 sqs.

2) Pausan. IX 2, 3.

3) cf. Ahrens. Philol. VII p. 440; Hiller. not. crit. p. 320.

4) Quare Ahrens. in voce κύνας nominativum generis fem. delitescere opinatus ultimam enuntiavit formavitque sententiam ad Anth. Pal. l. c. ubi capra a pastore coacta luporum catulos enutrire queritur, quod illi cum adoluerint in ipsam nutricem se convertant. Meinek. p. 234 pro κύνας scribendum proposuit λύκος hoc sensu: ale lupi catulos ale dum lupi evaserint ut te dilanient.

Hiller. ὥσπερ pro altero θρέψαι posuit e coniectura. Ribbeck. Mus. Rhen. 1862 p. 557 vulgatam librorum scripturam in hunc modum est tutatus: „Ja fürwahr! ziehe Dir nur junge Wölfe heran, ziehe sie Dir zu Hunden auf; sie werden Dir als Hunde dienen damit sie Dich zuletzt fressen.“

5) Cic. de har. resp. 24, 50.

Sus veteribus summae stoliditatis et stultitiae exemplar fuit[1]) unde repentendum est prov. quod est ὗς Ἀθηνᾶν[2]) a Theocr. usurpatum V 23 ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισεν. Explicationem ex schol. Theocr. κ. p. 40 Ziegl. hausit Apost. II 704 ἐπὶ τῶν τοῖς κρείττοσι φιλονεικούντων. Recte prov. usurpatur, ubi quis longe superiorem provocat in certamen aut indoctus eum docere cupit a quo ipse discere potest.[3])

Similia quibus impar quispiam cum superiore conatus certare ridetur praebet Theocr. V 29; VII 41;[4]) vide V 136: οὐ θεμιτὸν Λάκων ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδεν οὐδ' ἔποπας κύκνοισι.[5]) cf. Pind. Ol. II 96 (156).

In eum autem qui superiorem quasi perverso naturae ordine vincit .quadrat Mosch. IV 5 ἦ ῥ ὅτι ἄλγεα πάσχει ἀπείριτα φαίδιμος υἱὸς ἀνδρὸς ὑπ' οὐτιδανοῖο, λέων ὡσεὶ θ' ὑπὸ νεβροῦ; Proverbialem locutionis usum testatur Lucian. dial. mort. VIII 1 τοῦτο ἐκεῖνο τὸ τῆς παροιμίας · ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα. cf. Erasm. I 3, 49.

A bove depromptum est proverbium quod legitur Theocr. XIV 43: αἶνός θην λέγεταί τις, ἔβα ποκὰ[6]) ταῦρος

---

1) Inserviunt huic opinioni Pind. ol. VI 90 (152); Plat. Lach. p. 196 D; Plaut. mil. 586 sq.

2) Legitur hoc Plut. reipubl. ger. IX p. 205; Cic. de or. II 57, 233; acad. quaest. I 4, 18 p. 42b; ep. ad fam. IX 8 p. 138a; Hieron. ctr. Rufin. I 17 tom. II p. 472 B Valars. et III 33 tom. II p. 561 A; epist. 46, 1 tom. I p. 199 B.

3) ποκ' Ἀθαναίαν libri; Meineck; ποτ' (= ποτί = πρός) Fritzsch. cum edd. quibusd. antiqu. quem mire adiuvat quod invenio in Mant. prov. II 777 τὸ τῆς παροιμίας · ὗς πρὸς Ἀθηνᾶν ἐρίζων πεφώρασαι.

4) Disserui de his l. p. 22.

5) Imitationes sunt huius l.: Anth. Pal. IX 380; Lucr. III 6, 7; Verg. ecl. VIII, 55.

6) Pro vulg. κε s. κα s. καί Meinek. ποκά quod vocab. αἴνῳ aptissimum esse docuit Ahrens. Philol. VII p. 437; Wordsw. . . τι βέβακεν; Ahrens. τὸ βεβάκει nimiam Apostolio II 512 tribuens fidem; Fritzsch. cum libris quibusdam et schol. κ. p. 84 Ziegl. ἔβα Κένταυρος: at „Centauro vel maxime in silvis degenti nullus hic esse locus videtur.“ (Mein. p. 296.)

ἀν' ὕλαν. schol.: παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν μὴ ἀναστρεφόντων διὰ τὸ τοὺς ταύρους ὕλης ἐπιλαμβανομένους ἀλήπτους εἶναι. Intellege taurum, qui ubi stabula gregemque reliquit et in silvam se proripuit haud facile revertitur ad pristinam consuetudinem[1]); cui apte confertur puella quae ab amatore violata nondum rediit, ex quo illum deseruit alius amorem persecuta. Hoc simplicissimum est neque commode Koch p. 15[2]) meo quidem iudicio rectius derivari proverbium censuit a tauris ἀτιμαγέλαις[3]) „iis scilicet qui tum demum cum coeundi tempus adfuerit cum vaccis prata pascere incipiunt: ante id tempus solitarii per nemora vagantur nullo feminarum desiderio tacti.“ (Leutsch. ad Apost. II 512).

Quae explicatio et ipsa per se affectatione quadam non est libera et vel eam habet dubitationem, quod a tali tauro feminarum conventus spernenti translatio fit ad puellam virum ante amatum evitantem.

Non ignoro ceterum a choro Soph. Oed. R. 476 sqs. simili ratione percussorem hominum societatem fugientem cum tauro comparari per silvas ac nemora vaganti; sed parum perspicio, unde Koch. l. c. de proverbio Theocr. cogitasse poetam concluserit: percussorem enim ab oraculo tanquam a tagano taurum incitari Sophocles indicavit v. 481 τὰ δ' (sc. μαντεῖα) ἀεὶ ζῶντα περιποτᾶται.

A canis natura petitum est Theocr. X 11 χαλεπὸν χορίω κύνα γεῦσαι. Adnotavit schol.: παροιμία τοῦτό ἐστιν ἐπὶ τῶν γευσαμένων ἐφετοῦ τινος δυσαποσπάστως δὲ ἐχόντων τῆς συνηθείας λεγομένη.[4]) Est enim χόριον h. l. praeseminationis

---

1) cf. Wuestem. p. 209 cui assentitur Hiller. p. 175.

2) Secutus Erasm. I 1, 43; Leutsch ad Apost. l. c.

3) Theocr. IX 5 et XXV 132 tauri ἀτιμαγέλαι ii sunt, qui a reliquis segregati seorsim pascuntur. cf. Fritzsch. ad IX 5 I p. 305.

4) Greg. C. I 376; Macar. II 226; Apost. II 719; Diog. V. II 51; Suid. ridicule opinantur de iis dici prov., qui degustato semel flagitio ad maiora se convertant, quoniam canes secundarum illecebras expertae ipsis partibus insidiari soleant. cf. schol. κ. p. 69 Ziegl.

involucrum sive secundae: cf. Aristol. anim gen. II 7 p. 745 b 35; hist. an. VI 22 p. 577 a 7; Galen. de sem. I 7 tom IV p. 538 Kuehn. Cibus ille canibus est delicatissimus adeoque eius sunt cupidi, ut si quis sequi se canem vult secundas naribus eius admoveat, quibus olfactis admoventem ille quocumque ibit subsequetur.[1]) Proverbium legitur etiam Eust. opusc. p. 302, 43; Niceph. Greg. in Boiss. anecd. III 191. Similiter Antiph. Mein. frgt. com. III 160: *μελετήσας κύων σαρκῶν ἀπογεύεσθαι φυλάττειν οὐκέτι δύναιτ' ἂν ἀγέλην.* Alteram proverbii formam adiecit schol.: *χαλεπόν φασι μαθοῦσα κύων σκυτοτραγεῖν*; hac usus est Lucian. adv. ind. 25 *οὐδὲ γὰρ κύων ἅπαξ παύσαιτ' ἂν σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα.*[2]) cf. Alc. epist. III 47, 25; Theod. Hyrt. ep. in Manuscr. Par. VI p. 31; Arsen. II 643. Similiter Hor. sat. II 5, 83 „canis a corio nunquam absterrebitur uncto" et nostri „am kleinen Riemen lernt der Hund Leder fressen." Neque tamen vocabulo *χόριον* eadem vis est vindicanda ac Latinorum corio, ut idem quod *σκυτοτραγεῖν* significet *χορίου γεύεσθαι.*[3]) *χόριον* pro corio usurpatum alias non invenitur.[4]) Neque quemquam varia eiusdem sententiae elatio potest morari et *χόριον* secundas significans in locum Theocr. optime quadrat. Ut enim canis, qui cibum gratissimum semel degustaverit ore aut naribus, haud facile eo abstinebit, ita homo agrestis, ubi primum amoris dulcissimam vim expertus est, vix poterit retineri quin totum se det illius

---

1) cf. Geopon. XIX 2, 17.

2) Verba recepit Greg. C. M. II 126; Apost. II 587 addit *ὅτι τὸ ἔθος σχεδὸν ἀμετάβλητον.*

3) Hoc placuit Wuestem. p. 156; Fritzsch. I p. 323.

4) Quod Fritzsch. voc. *χόριον* iis adnumerandum esse vocabulis censet „quae Italiotarum et Siceliotarum lingua communia habuit cum dialecto Latina" id omne desiderat testimonium. — Ahrens. qui de dial. Dor. p. 390 talia collegit, non notavit *χόριον.*

illecebris. Apte igitur hac vocabuli significatione[1]) dulcedo deliciaeque amoris repraesentantur; sin pro corio *χόριον* accipitur permolesta solum et valde inutilis comparet assuetudo.

In eum, qui rem periculosam temere aggressus gravi damno afficitur vel incidit in malum, unde aut effugere omnino non potest aut aegre eluctatur, dicitur Theocr. XIV 51 *μῦς φαντὶ Θυώνιχε γεύμεθα πίσσας*. Proverbiale dictum facile agnoscitur verbo *φαντί* quod additum est. Vulgata proverbii forma erat *μῦς πίττης γεύεται*[2]) sive *ἄρτι μῦς πίττης γεύεται;*[3]) *μῦς ἐν πίσσῃ* commemorat Eust. ad Hom. p. 1828, 17; alii proverbium a Mure derivabant, qui pugil Tarentinus ex certamine Olympiaco victor quidem discessisset male tamen adversariorum pugnis mulcatus, et in hunc modum efferebant: *Μῦς πίσσης γεύεται*[4]) sive *ὅσα Μῦς ἐν Πίσσῃ.*[5]) — Adhibuerunt praeterea prov. Demosth. p. 1215, 10 et Liban. ep. 192. Per similitudinem eundem sensum assecutus est Nic. Eug. IV 410 *ἁλίσκεται γὰρ τοῖς ἔρωτος δικτύοις ὡς μῦς πρὸς ὑγρᾶς ἐμπεσὼν πίσσης χύτραν*. Finitimum est prov. illud Homericum *ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.*[6]) Neque enim mus pice gustata nec pugil ille certamine tentato iterum temere agunt experientia malorum cauti. Formam *γεύμεθα* quae exstat in libris Theocr. pro perfecto abrepta reduplicatione pronuntiato accepit Mein. p. 296;

---

1) Erasm. II 4, 22 in voc. *χόριον* intestina intellexit; Hiller. p. 147 „Gekröse". At *χόριον* si intestina significet aut edulia quaedam ex intestinis cum melle et lacte parata pluralem numerum flagitare docuit Fritzsch. ad Arist. Thesm. p. 594. cf. Theocr. IX 19; schol. ad h. l.

2) Hesych. Arsen. II 343; *γεύῃ* pro *γεύεται* exhibet Macar II 189.

3) Diogen. I 206; Macar. II 147; Becker. anecd. I 208, 6; Suid.

4) Diogen. V. II 11.

5) Zenob. I 139; Hesych. v. *μῦς πίττης γ.;* Suid. v. *ὅσα Μῦς ἐν Πίσσῃ;* schol. Theocr. N.

6) Il. XVII 32; XX 198; cf. Hes. op. 218 et 89; Plat. symp. p. 222 B; Alciphr. ep. III 24; Liv. XXII 39 m.; Koch. p. 56.

similius veri Fritzsch. II p. 275 ed. mai. ad XXX 16 γεύμεθα contractum esse ex γευόμεθα censuit; sic XXX 16 γεύμενοι et v. 32 δεύμενον.

Simili ratione homo quidam in infortunio gravi ac permolesto versatus vocatur ὄνος ἐν ῥάμνῳ[1]) a Theocr. XXI 36. Affine notavit Diogen. I 291 ὄνος ἐν μελίσσαις: ἐπὶ τῶν ἐν κακοῖς περιπεσόντων.

Venio ad metaphoras e plantarum quarundam natura exortas.

Id primum licet obiter commemorare herbarum arborumque succi plenorum colorem viridem transferri solere ad hominum iuventutem membris praevigentem velut Theocr. XIV 70 ποιεῖν τι δεῖ ἇς γόνυ χλωρόν; XXVII 67 χλωροῖσιν ἰαινόμενοι μελέεσσιν.[2]) cf. Erasm. IV 4, 21.

Ficulni ligni fragilitas inutilitasque vulgari metaphorae locum fecit quae exstat Theocr. X 46: σύκινοι ἄνδρες. Eandem adhibuerunt Arist. plut. 945: ἐὰν δὲ σύζυγον λάβω τινὰ καὶ σύκινον; Antiph. ap. Athen. III p. 98 F μετὰ σοφιστῶν νὴ Δία λεπτῶν ἀσίτων συκίνων; Hor. sat. I 8, 1: „olim truncus eram ficulnus inutile lignum.“ Usitatissimum huc pertinet prov. quod est συκίνη ἐπικουρία.[3]) Addo Lucian. adv. ind. 6 συκίνην τὴν γνώμην. Similia congessit Macar. II 210 et 212.

Eodem sensu caprifico utitur Theocr. XV 50 κακὰ παίγνια, πάντες ἐρινοί[4]) cuius loci et sententiam et scriptu-

---

1) Sic cum Boisson. maxima pars criticorum. Ahrens. adiutus a Wordsworth. iusto autem longius regressus a litterarum vestigiis scripsit ἀδὼν ἐν δρυμῷ; cf. App. prov. I 443 οὐδ᾽ ὅσσον ἀηδόνες ὕπνοι.

2) Plura hoc genus praebet Fritzsch. ad XIV 70 II p. 30 cf. Valcken. ep. ad Roever. p. 24; Toup. cur. post. in Theocr. p. 26.

3) Stratt. ap. Athen. XII p. 551 C; Liban. ep. 50. 229. 613. 1067; Eustath. ad Hom. p. 1572, 60 et 1964, 1. cf. Arist. Lys. 110 ubi schol.

4) Hoc edidit Fritzsch.

ram mire adiuvat frustra quidem a criticis vexatas[1]) Soph. frgt. 183 *πέπων ἐρινὸς ἀχρεῖος ὤν* de quo v. Koch. p. 77.

Ad trychni s. strychni naturam spectat Theocr. X 38 *ἁ φωνὰ δὲ τρύχνος.* In quo loco quid sit intellegendum ad liquidum perducit Phot. v. *τρύχνον: παρὰ τὴν παροιμίαν τὴν ἁπαλώτερος τρύχνου ἣν παρῳδῶν ὁ κωμικός φησιν ‚ἤδη γάρ εἰμι μουσικώτερος τρύχνου'.* Vocis igitur mollitiem ac tenuitatem[2]) vulgarem secutus usum significat Theocr., quae metaphora ex insigni quadam mollitudine ac suavitate videtur profecta esse, quam fructui[3]) plantae aut sapori[4]) veteres tribuerint. Neque vero cuiquam probatur Fritzschii explicatio quae est: „vox tua lymphat animum tanquam trychnus;" vetamur enim proverbio a Phot. servato ad vim et effectum usus plantae revocare Theocriteum.[5])

In eum, qui res valde impares componit inter se, convenit Theocr. V 92 *ἀλλ' οὐ σύμβλητ' ἐστὶ κυνόσβατος οὐδ' ἀνεμώνα πρὸς ῥόδα.* Illae enim plantae, quamquam flores non dissimiles sunt rosae, tamen cum nullam habeant odoris suavitatem, cum hac non possunt comparari. Talia in proverbii consuetudine fuisse indicant Diog. I 304; Greg. C. L. II 86 *ῥόδον ἀνεμώνῃ συγκρίνεις: ἐπὶ τῶν τὰ ἀνόμοια συμβαλλόντων.* cf. Erasm. IV 4, 18 et II 6, 41. Similia leguntur Theocr. V 94; Hen. ap. Mein. frgt. com. III 562; Aristaen. II 21 p. 193; Verg. ecl. I 25; V 16.

---

1) cf. Mein. p. 303; Fritzsch. II p. 46.

2) schol.: *ἡ φωνή σου μαλακὴ ἐοικυῖα τρύχνῳ.*

3) cf. Ameis. adnot. p. 65.

4) cf. Wuestem. p. 161.

5) Testibus Theophr. hist. plant. VII 15, 4 et IX 11, 5; Dioscor. mat. med. IV 71; Plin. hist. nat. XXI 177 species quaedam plantae modice sumpta cum vino somnum facit eumque dulcissimum visionibusque non iniucundis emollitum; sin modus exceditur, insaniam: unde fluxit proverbium quod affertur ab Arsen. II 648: *στρύχνον ἔπινεν: ἀντὶ τοῦ: μανιώδης ἐγένετο.*

Scilla vulgari specie adhibetur Theocr. V 121 σκίλλας ἰὼν Γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλειν. Admonetur hoc dicto homo acerbus et iratus, ut bilem sibi expellat, ipsumque loquendi genus suadet, ut vulgare aliquid respexisse poetam suspicemur.[1]) Cogitandum est de magica scillae vi;[2]) indicant hoc verba quae sunt Γραίας ἀπὸ σάματος h. e. ex sepulcro mulieris cuiusdam, in illa regione notissimae, cui Γραία erat nomen:[3]) quoniam herbae e sepulcris quaesitae magicae arti optime conveniunt.[4]) Scillam ante limen ianuae suspensam mala medicamenta avertere rerum naturalium scriptores[5]) tradunt; etiam id magicae vi tribuo, quod lupus narratur procul recedere a grege, si duci eius scilla circumdatur;[6]) veritus enim, ne ex scillae contactu spasmo vexetur, immobilis stat rabiemque solet sedare.[7]) Adscribo Artemid. onirocr. III, 50 ἀγαθὴ δ' ἂν εἴη (sc. ἡ σκίλλα) πᾶσι τοῖς ἐν φροντίδι καὶ λύπῃ οὖσι. καθάρσιος γὰρ εἶναι νενόμισται, et Lucian. alex. 47 καθαῖρον (sc. τὸ βίβλιον) ὡς ἀληθῶς τὰς γνώμας οὐχ ὑπὸ δᾳδὶ καὶ σκίλλῃ καὶ ταῖς τοιαύταις φλυαρίαις ἀλλὰ λόγῳ ὀρθῷ καὶ ἀληθείᾳ. Expellitur igitur scilla pro salubri ac piaculari adhibita medicamento maeror tristitia mens omnino perversa. Hinc intellegenda sunt, quae pastor Theocr. usum plantae vulgi sermone tritum respiciens socio mordaci et acerbo suadet: „scillam evelle

---

1) Affine protulit Arist. vesp. 1489 πῖθ' ἐλλέβορον h. e. „insanus es veratro tibi opus est" ut Bauck. p. 33 recte intellexit.

2) cf. Fritzsch. p. 107 ed. min.

3) cf. Mein. p. 238.

4) cf. Tib. I 5, 53; Hor. epod. V 17.

5) Dioscor. mat. med. II 202; Plin. hist. nat. XX 97. cf. Calp. V 79.

6) Geopon. XVIII 17, 8.

7) Geop. XV 1, 7 ubi Niclas.

ex Anus sepulcro“ nimirum ut iracundiam immodicam et acerbitatem eiicias e mente.[1])

Eodem fere consilio quo scilla hic cyclaminus commemoratur V 123 ἐνθὼν τὸν κυκλάμινον ὄρυσσέ νυν ἐς τὸν Ἅλεντα. Huic plantae similis vis ac scillae tribuitur a Dioscor. II 193; Plin. hist. nat. XXV 114.

Metaphorae proverbiales a rebus inanimis sumptae hae fere occurrebant:

Theocr. XXI 36 homo piscator, qui semper sollicitatus domesticis curis et cogitationibus quietem somnumque capere non potest, vocatur λύχνιον ἐν πρυτανείῳ. Metaphora deprompta a lucernis, quae in Graecorum prytaneis Vestae sacris perpetuo alebantur oleo neque unquam poterant extingui,[2]) proverbiorum numero est vindicanda: quod loci ratio satis ostendit.[3])

Cum ferro scopulis lapidibusque comparantur metaphora vulgari[4]) homines duri ac pertinaces Theocr. X 7 πέτρας ἀπόκομμ' ἀτεράμνω; XXIII 20 λάϊνε παῖ; XXIX 24 κἤμὲ μαλθακὸν ἐξ ἐπόησε σιδαρίω; Mosch. IV 44 πέτρης ὅγ' ἔχων νόον ἠὲ σιδήρου; Theocr. III 38 καί κέ μ' ἴσως ποτίδοι ἐπεὶ οὐκ ἀδαμαντίνα ἐστίν. Subiungere huic loco licet Theocr. II 33 τὺ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἐν Ἅιδᾳ κινήσαις κ' ἀδάμαντα καὶ εἴ τι περ ἀσφαλὲς ἄλλο. In utroque loco intellege ferrum mythicum invicta exornatum duritate, ex quo cum firmissimum quidque Vulcanum elaborasse poetae ab Hesiodi aetate auctores sunt, tum omnia, quae in Orco

---

1) Missas facio scholiastarum ineptias; neque quemquam consentientem habebunt qui purgantem scillae effectum intellegendum putaverint. Risum concitat Ameis adn. p. 35: „evellas e sepulcro anus alicuj. scillas quibus lacrimas mihi excitem ut hunc homuncionem miseratione dignum deplorem.“

2) Pausan. V 115, 9.

3) cf. Wuestem. p. 300; Fritzsch. p. 218 ed. min.; — Casaubon. animadv. ad Athen. XV 19; hunc tamen vera locutionis sententia fugit.

4) cf. Koch. p. 26.

starent immobilia et rigida, fuisse confecta veteres cogitatione sibi finxerunt.[1]) Hinc poeta ἀδάμαντα vocat τὸν ἐν Ἅιδᾳ h. e. adamantinas Orci fores[2]) aut fores quae sceleratorum hominum sedes apud inferos claudebant.[3]) cf. Schaumann observ. in Theocr. p. 14 (Giess. 1820). ‚Adamanta movere' eodem sensu nec sine proverbii specie dicunt Ov. art. am. I 659 et Mart. VII 100, 7.

Lapis Lydius qui dicebatur cum vim haberet et facultatem auri argenti aeris quantum inesset cuivis metallo indicandi,[4]) unde etiam βάσανος,[5]) λίθος ἀληθινός,[6]) ‚index' vocabatur, frequenter usurpatus est a scriptoribus, ut argentarii studium indice aurum examinantis cum opera multo difficiliore veros hominum mores et ingenium investigandi et agnoscendi conferretur.[7]) Atque etiam proverbio increbruit locutio quae est Λυδία λίθος ap. Macar. II 186: ἐπὶ τῶν ἀκριβῶς ἐξεταζόντων καὶ διακρινόντων τὰ πράγματα. Respexit[8]) hoc Theocr. XII 36 Λυδίῃ ἶσον ἔχειν πέτρῃ στόμα χρυσὸν ὁποίῃ πεύθονται μὴ φαῦλος[9]) ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί h. e. os quo explorentur oscula aeque habere idoneum ac lapidem Lydium argentarii.

Imagine aceti homo valde iracundus notatur a Theocr. XV 148 χὠνὴρ ὄξος ἅπαν. Comparanda sunt Arist.

---

1) Plurima contulit Voss. Anmerk. u. Randgl. p. 164; cf. Voss. not. in Theocr. p. 11.

2) Prop. V 11, 4.

3) Verg. aen. VI 552; Ov. met. IV 453.

4) cf. Theophr. lap. 4; Plin. hist. n. XXXIII 126; Cramer. anecd. III p. 158 et 223; schol. Theocr. XII 36 p. 78 Ziegl.

5) Theogn. 449 et 417; Plat. Gorg. p. 486 D; Clem. Alex. Strom. I 9, 44; Becker. anecd. I p. 225, 19.

6) Athen. V p. 205 F.

7) cf. Theogn. 119; Bacch. in Stob. flor. XI, 7; Eur. Med. 513; Maxim. Tyr. diss. XX 3 p. 383 Reisk.; Const. Man. VIII 24; Eust. op. p. 83, 60 et 119, 70.

8) cf. Erasm. I 5, 87.

9) μὴ φαῦλος vulg.; τρίβοντες coniec. Buechel.

vesp. 1082 θυμὸν ὀξίνην πεπωκότες et Plaut. Bacch. III 3, 1: „nunc experiar sitne aceto tibi cor acre in pectore."

Mellis dulcedine res quaevis periucunda maximeque cantus suavitas vulgo solet repraesentari: Theocr. VIII 83 κρέσσον μελπομένω τευ ἀκουέμεν ἢ μέλι λείχειν;[1]) XX 26 ἐκ στομάτων δὲ ἔρρεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα ἢ μέλι κηρῶ; Mosch. I 9 ὡς μέλι φωνά; Theocr. III 54 ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.[2])

Metaphoram salis ut rei minutissimae secutus Homerum (Od. XVII 455) adhibuit Theocr. XXVII 61 φῄς μοι πάντα δόμεν · τάχα δ' ὕστερον οὐδ' ἅλα δοίης h. e. ne hilum quidem. Hinc vilissimus servus dicitur proverbialiter ἁλώνητον ἀνδράποδον[3]) legiturque in oraculo a Zenob. I 68 servato οὐδ' ἅλα θηρεύσεις. Pari consilio utitur aerugine Theocr. XVI 17 et de re tenui vocem roris usurpat IV 16: μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ; cicadae enim rore pasci vulgo credebantur.[4])

Ingens rerum multitudo lenissima translatione ac proverbiali vocatur σωρός Theocr. epigr. XVII 7 σωρὸν γὰρ εἶχε ῥημάτων cf. Arist. plut. 269 sq. Similia Diogen. I 182 ubi v. not.; Koch. p. 64. Latini eodem sensu ‚saltus'[5]) ‚mons'[6]) ‚conciliabulum'[7]) ‚hospitium'[8]) ‚thensaurus'[9]) ‚Ilias.'[10])

---

1) Hoc imitati sunt Nic. Eug. II 106 et Calp. IV 150; simillime Plaut. Cas. II 8, 21: ‚quia te tango mel mihi videor linguere.'

2) cf. Hom. Il. I 249; Antiph. ap. Mein. frgt. com. III 68, 3; Liban. ep. 1286; Theod. Hyrt. ep. in Manuscr. Par. V p. 737; Hor. sat. II 6, 32; Tib. I 7, 54.

3) Zen. I 34; Diog. I 196: τὸ εὐτελές, τὸ πρὸς ἅλας ὠνηθέν.

4) cf. Hes. scut. 395; Anacr. 32, 1; Aelian I 20; Greg. Naz. ep. 13 p. 776 D Mor.; Verg. ecl. V 77.

5) Plaut. Men. 990.

6) Plaut. most. II 1, 5; merc. III 4, 32; epid. I 1, 18; Ter. Phorm. 68.

7) Plaut. trin. 314.

8) trin. 553.

9) Plaut. merc. 641.

10) mil. 743.

Cestus Veneris de re venusta libidinumque illecebris repleta saepenumero usurpatur velut in Anth. Pal. V 121 *κεστοῦ φωνεῦσα μαγώτερα;* Eust. Macr. p. 174, 16 *εἴδωλον Διὸς ὅλον κεστὸς Ἀφροδίτης;* Himer. orat. VII 8 p. 524 Wernsd.: *κεστὸς ἀτεχνῶς τῆς Ἀφροδίτης τὰ σύμπαντα.*[1]) Sic ipsam Venerem Adonin conquestam subita morte abreptum praedicantem de se facit Bion. I 60 *σοὶ δ' ἅμα κεστὸς ὄλωλε* h. e. omnis mea venustas. Vim amatoriam cesti paucis descripsit Hom. Il. XIV 214; cf. Mart. VI 13; Claud. epith. 124.

Per ignem incedere ii dicuntur, qui summa celeritate aliquid perficere deproperant; incitantur enim, qui per ignem incedunt ardore flammae, quae tardiores adurit, celeritate redditur inoxia: Diogn. I 239 *ἐν πυρὶ βέβηκας* V. B.: *ἐπὶ τάχους.*[2]) Haec explicatio probata quidem Erasmo IV 6, 32; Ameis. adn. p. 34 optime Theocrito convenit, qui simili dicto proverbiali utitur V 31: *μὴ σπεῦδ' · οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπεαι* quod ad prov. modo commemoratum recte refert schol. — Ex parte aliqua huc pertinent Alciphr. II 2, 46 *ἐμὲ δὲ οὐδὲν θάλπει τι δόξα* et Aristaen. I 24 p. 110 *ἐμὲ γὰρ οὐδὲν θάλπει κέρδος.*

Quod in summo periculo est, id tamquam in acie cultri tonsorii versatur, quia non diu quidquam suo pondere ibi se tenet sed „in alterutram partem iam iamque decidat

1) Eust. M. p. 256, 26; Alc. ep. I 38, 40; Aristaen. I 1 p. 6; Himer. orat. XX 7 p. 728; Mart. XIV 206 et 207.

2) Altera explicatio eaque ineptissima est *ἐπὶ αἰσχίστου* pro qua Emper. ad Apost. II 405 proposuit *ἐπὶ ἀπίστου* qua coniectura quid voluerit non video. Fortasse latet *ἐσχάτου* nimirum *κινδύνου*: saepenumero enim *εἰς τὸ ἔσχατον ἐλθεῖν* s. *ἐν ἐσχάτῳ εἶναι* ii dicuntur, qui in summo discrimine versantur — cf. Soph. Oed. C. 217; Demosth. p. 346, 2; Lucian. Jov. trag. 3 — locisque permultis talis explicatio aptissima est: cf. Hom. Il. X 246; Arist. lys. 133; Hor. c. II 1, 8; Koch. p. 31.

necesse est."[1]) Haec metaphora, per omnia antiquitatis tempora tritissima, a Theocr. usurpata est XXII 6 *ἀνθρώπων . . . ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων.*[2]) Idem nisi fallor vult Pind. frgt. 254 *ἐπὶ λεπτῷ δενδρέῳ βαίνειν.*

Eadem sententia inest locutioni quae est *ἐκ τριχὸς κρέμαται* v. Zenob. I 69 *ἐπὶ τῶν σφόδρα κινδυνευόντων.*[3]) De pilo enim pendere videtur res, quae in summum discrimen addacta est, aut homo, qui in praecipiti versatur, quoniam pilus si rumpitur ad exitium necessarium suspensos vocat.[4]) Neque igitur recte iudicavit Erasm. I 9, 72 ab historia illa Dionysii tyranni[5]) petitum esse prov.: non periculum sed res ipsa quae periclitatur pilo suspensa esse dicitur.

Ut huic proverbio pili infirmitas fecit locum ita spectat ad tenuitatem Theocr. XIV 9 *λασῶ δὲ μανείς ποκα, θρὶξ ἀνὰ μέσσον.* ad qu. l. schol. *ὀλίγον δέ ἐστι τὸ μεταξὺ τοῦ μὴ πάντα με μανῆναι.* Proverbiale hoc dictum agnoverunt schol. r; Arsen. II 458; Erasm. IV 10, 71; usurpavit Eust. op. p. 232, 60 et 292, 48. Affine est Latinorum „ne pilo quidem minus"[6]) nostrorumque hominum quod est „nicht um ein Haar breit".

## II. Metaphorae a gentium hominumque singulorum natura et indole depromptae.

Primum e gentis moribus profectum est quod de Aegyptiorum animo doloso omnibus temporibus valde infami

1) Ita Koch. p. 81.

2) cf. Mac. II 166; Diog. V. II 28; Mant. pr. II 753.

3) cf. Greg. C. I 362; Diog. I 238.

4) cf. Anth. P. V 230, 7; Plut. apophth. VI p. 874; Aristaen. II 1 p. 126; Theod. Mag. ap. Boiss. anecd. II 227; schol. Il. X 173; Eth. Magn. p. 362, 24; Enn. ann. 157 Muell.; Ov. ex Pont. IV 3, 35.

5) cf. Pers. sat. III 40; certe meminit historiae Theod. Hyrt. ep. in Manuscr. Par. VI p. 10: *ὑπὲρ κεφαλῆς ἠρτημένος ὁ κίνδυνος.*

6) cf. Cic. ad Quint. fr. II 16 fin.

legitur Theocr. XV 47 οὐδεὶς κακοεργὸς δαλεῖται τὸν ἰόντα παρέρπων αἰγυπτιστί. cf. Bauck. p. 40; Koch. p. 37.

Thessalorum perfidia deluditur a Theocr. XIV 31 Θεσσαλικόν τι μέλισμα, κακαὶ φρένες. Quam male illi audierint in Graecia, ostendit Demosth. Ol. I 22 τὰ τῶν Θετταλῶν. ταῦτα γὰρ ἄπιστα μὲν ἦν δήπου φύσει καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις. cf. Arist. plut. 521: unde prov. est enatum, quo usus est Eur. Phoen. 1408 τὸ Θετταλὸν σόφισμα.[1])

De celebri Lacedaemoniorum breviloquentia, quam laudavit Plat. Prot. p. 343 B, dictum videtur Theocr. XVIII 47: γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται, ὡς παριών τις ἀννείμῃ, Δωριστί[2]). ,σέβου μ'. Ἑλένας φυτόν εἰμι.' Enim vero vix potuit fieri, ut brevius inscriberetur titulus.

Σύρα vocatur puella quaedam ob corporis sole perusti colorem a Theocr. X 27. Ita voc. Syriis obvium Verg. Georg. II 88 pro nigris esse accipiendum docuit Serv. ad h. l.

Accedunt metaphorae ea denotantes, quae in regione aliqua aut gignuntur aut procreantur.

Panis Doricus commemoratur a Theocr. XXIV 137; in quo insignis crassitudo intelligenda cum schol. Apoll. Rhod. I 1077.

Syria unguenta laudantur Theocr. XV 114 et Bion. I 77.

Vellera Milesia et Samia a Theocr. XV 125 πορφύρεοι τε τάπητες ἄνω, μαλακώτεροι ὕπνου. ἁ Μίλητος ἐρεῖ χὠ τὰν Σαμίαν κάτα βόσκων h. e. praestantiam testabuntur Milesii et Samii quippe qui illa paraverint.[3])

Pario marmore dentium nitor respraesentatur Theocr. VI 37: cf. Hor. c. I 19, 5; Ov. amor. I 7, 52.

---

1) cf. Koch. p. 35.

2) Ahrens. vulg. permutavit in δώροις τι; M. Haupt. commendavit ὥριστε sequente Meinekio. At librorum scriptura non eget emendatione: cf. Fritzsch. II p. 99; Hiller. p. 212.

3) Ita schol. k. p. 91 Ziegl. v. 126 interpretatur: τὰ Μιλήσια καὶ Σάμια ἔρια. cf. Heins. lect. Theocr. p. 368.

Thessalorum equorum excellentia laude effertur Theocr. XVIII 30: v. App. prov. I 422 ἱππεῖς ἐν Θετταλίᾳ καὶ Θρᾴκῃ; not. ad Macar. II 199; oraculum quod servavit Strab. XI, 13 p. 449.

Postremo de iis metaphoris disseram, quas hominum singulorum mores protulerunt in lucem.

Croesi divitias in proverbii consuetudinem venisse testatur Theocr. X 33 αἶθε μοι ἦς ὅσσα Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι h. e. εἴθε ἐκεκτήμην τὰ Κροίσου (schol. ad h. l.); VIII 53 μή μοι Κροίσοιο[1]) τάλαντα εἴη ἔχειν. cf. Diog. I 316 Greg. C. L. II 87; Lucian. tim. 23; Julian. ep. 40 p. 419 D; Liban. ep. 1041; Ach. Tat. p. 165, 31 Herch.; Eust. op. p. 295, 1; Man. Pal. ap. Boiss. anecd. II p. 299; Juven. XIV 328; Ov. ex Pont. IV 3, 37; trist. III 7, 42; Prop. IV 5, 17.

Cum Tityo non sine specie vulgari confertur homo rusticus ob ingentem corporis proceritatem Theocr. XXII 94 Τιτυῷ ἐναλίγκιος ἀνήρ. cf. Anth. Pal. XI 107 κεῖται δ' ἢ Τιτυῷ ἐναλίγκιος. Illum enim fabulosum terrae filium humi prostratum novem iugera occupasse auctor est Hom. Od. XI 577. cf. Ov. met. IV 457; Stat. Theb. VI 753.

Veneficio herbarumque magicarum scientia tam infames erant mulieres quaedam, ut nominibus earum feminae arte illa imbutae proverbialiter significarentur: Suid. v. Κίρκη: τὰς δὲ παιπαλώσας γυναῖκας Κίρκας φαμέν. Huius ars qualis fuerit enarravit Hom. Od. X 230 sqs.: unde homines bestiarum ratione elingues hebetesque Circes veneno compressi esse dicuntur a Theocr. IX 35 οὓς γὰρ ὁρεῦντι γαθεῦσαι (sc. αἱ μοῖσαι) τὼς δ' οὔτι ποτῷ δαλήσατο Κίρκα.[2]) Passim comparent Circes φάρμακα, pocula, gramen, fraudes,

1) vulg. χρύσεια.
2) v. Eust. ad Hom. p. 10, 18 et 1656, 54; op. p. 338, 70.

carmina blanda, verber magicum.[1]) Filia erat teste Hes. theog. 956 Solis, soror Aeetae regis Colchici; hic ex Idyia progenuit Medeam. Quae de hac muliere venefica feruntur, praeterire silentio licet.[2]) A Pind. pyth. IV 233 appellatur *πολυφάρμακος;* ipsam veneficii scientia gloriantem facit Eur. Med. 386 sqs. cf. schol. Arist. nub. 749. Medeae malas herbas notaverunt Tib. I 2, 51 et Ov. art. am. II 101; venena Hor. epod. V 62 et XVII 35; carmina Prop. I 1, 24. Una cum Circe cum ab aliis[3]) affertur tum a Theocr. II 15 *φάρμακα ταῦτ᾽ ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκας μήτε τι Μηδείας μήτε ξανθᾶς Περιμήδας.* Haec eadem est teste schol. ad h. l. quam Hom. Il. XI 740 vocat *Ἀγαμήδην: ἣ τόσα φάρμακα ἤδη ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.* Neque ignoratur a Prop. II 4, 8.

Lityersae carmen canit pastor Theocriteus X 42 h. e. tale quale a messoribus cani solet. Nam ille, spurius Midae regis filius, in Phrygia erat messor solebatque hospites, qui vana spe decepti messoriam artem cum eo exercebant, fraudulenter enecare et corpora certis quibusdam cum incantationibus inter manipulos colligare.[4]) Unde messorum cantilenae ipsae nominabantur *Λιτυέρσαι.*[5])

Praxitelis praeclarissimi sculptoris opus translate dicitur crater perfectissime elaboratus a Theocr. V 105.

Bioni ob insignem oris dulcedinem nomen Orpheus

---

1) cf. Arist. plut. 302; Nonn. Dion. 37, 415; Prop. II 1, 53 et IV 12, 27; Tib. IV 1, 61 et 63; Hor. epist. I 2, 23; Verg. ecl. VIII 20; Juven. XV 21.

2) cf. Ov. met. VII 1 sqs.

3) Eust. ad Hom. p. 1657, 55; Tib. II 4, 55; Plin. hist. nat. XXV 10; Claud. in Ruf. I 153.

4) cf. scholl. ad h. l.; Apost. II 500; Welcker. Kleine Schrftn. I p. 11 sqs.

5) cf. Athen. XIV p. 619 A quocum conspirant quae schol. Theocr. ad X 42 attulit ex Apollodoro.

Doricus datur a Mosch. III 17. cf. Verg. ecl. VIII 55. Proverbii fere locum obtinent Orpheï *γλῶσσα μέλος* alia.[1])

### III. Proverbia a fabulis quibusdam historiisve sumpta.

Nuptiae Junonis et Jovis rem maxime reconditam summaque involutam obscuritate repraesentant Theocr. XV 64 *πάντα γυναῖκες ἴσαντι καὶ ὡς Ζεὺς ἤγαγεθ' Ἥραν.* Vulgare hoc fuisse dictum verisimile mihi videtur cum Erasmo (IV 4, 23). Ut enim omittam quod Plautus locutione cognata speciemque proverbialem ostentanti deludit mulierum rerum notitiam trin. I 2, 171:[2]) quemadmodum significantius poeta iactantiam doctrinae potuit describere, quam cum adiungeret prov. dictum de re valde incomperta? quam dis ipsis fuisse ignotam testatus est Hom. Il. XIV 295. Neque quidquam certi de nuptiis ab antiquioribus est traditum; hymn. in Aphr. IV, 43 Juppiter *ἄφθιτα μήδεα εἰδώς* Junonem dicitur in matrimonium duxisse, ex quibus verbis item apparet clam peractam esse rem. Certe vero quae posteriore inveniuntur aetate aut a poetis ad consilia sunt conficta[3]) aut grammaticorum quorundam ingenio anili debentur.[4])

Fabula erat perantiqua primo fuisse aureum quoddam genus hominum mortalium, quod otiose omnibus terrae bonis usum sine dolore invidia bello cum dis concordissime vitam beatam et perlongam degerit.[5]) Unde quidquid optimum videbatur, id aurei esse generis dicebant veteres:[6])

---

1) cf. Koch. p. 47.

2) „Sciunt quod Juno fabulatast cum Jove.“ cf. Juven. VI 402 sqs.

3) cf. Theocr. XVII 131 sqs.

4) cf. schol. ad Theocr. XV 64.

5) cf. Hes. op. 109; Plat. rep. p. 446 E; Arat. phaen. 114; Anth. Pal. V 31, 1; Verg. ecl. IV 8; Ov. met. I 89; Hor. c. IV 2, 39; Calp. I 42.

6) Plat. Cratyl. p. 397 E sq.; Lucian. saturn. 7; Calp. IV 6.

cui loquendi modo non deesse aliquid proverbiale intellexit Eust. op. p. 311, 60 χρύσεον ὁ μῦθος ἔπλασε γένος ἀνδρῶν· καὶ ἔστιν ἐν παροιμίαις ἐκεῖνο πρὸ πάντων ἀγόμενον. Ita de pari amantium studio pro summo bono habito praeclare Theocr. XII 15 ἦ ῥα τότ' ἦσαν χρύσειοι πάλιν ἄνδρες ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς. Similiter Crates et Polemo amicissimi λείψανα τοῦ χρυσοῦ γένους vocantur a Diog. Laert. IV 22.

Troiae urbis expugnationem de re difficillima maximeque ardua usurpat Theocr. XV 61: ἐς Τροίαν πειρώμενοι ἦνθον Ἀχαιοί. Proverbii fere instar hoc positum esse testium quorundam auctoritas evincit, qui sunt Eubul. ap. Athen. II p. 63 D τοῦτ' ἔσθ' ἑκάστῳ μεῖζον ἢ Τροίαν ἑλεῖν et Aristaen. I 17 p. 85: χρόνῳ δὲ καὶ Ἀτρεῖδαι τῆς κλεινῆς ἐκράτησαν Τροίης. cf. Ov. art. am. I 478.

Ad amicitiam nobilissimam, qua Achilles fertur coniunctus fuisse cum Patroclo spectat Theocr. XXIX 34 ἀλλάλοισι πελώμεθ' Ἀχιλλέϊοι φίλοι. cf. Charit. ap. Herch. p. 11,24. Alia amicorum paria, quorum amicitia fuit in proverbio, commemorant Bion. VIII; Plut. de am. mult. VI p. 349; cf. Callim. epigr. 59, 6 Mein.; Lucian. tox. 1; Greg. Naz. or. XX p. 332 B; Ov. ex Pont. II 3, 43; Hor. c. IV 7, 27; Cic. de off. III 10, 45.

Niobes fortuna miserrima[1]) in proverbium abiit: v. Apost. II 544 Νιόβης πάθη ἐπὶ τῶν τὰ μέγιστα παθόντων κακά. Huc refero Mosch. IV 82 μηδ' εἰ κ' ἠυκόμου Νιόβης πυκινώτερα κλαίω.

Daphnidis infortunium proverbii fere locum obtinet Theocr. V 20 αἴ τοι πιστεύσαιμι τὰ Δάφνιδος ἄλγε' ἀροίμαν. Bubulcus ille erat Musis Nymphisque amicissimus, cui Venus irata quod amoris vim se superaturum esse iactaverat inexpugnabile Nymphae cuiusdam desiderium iniecit. Neque tamen Daphnis cessit amori, sed misere periit in certamine.

---

1) cf. Hom. Il. XXIV 602; Ov. met. VI 273.

Hoc fere argumentum Theocr. I 64 sqs. persecutus est.[1]) Infelix igitur amor malorum Daphnidis causa est: cum autem Theocr. V 20 nullam amoris infelicis rationem habuerit, facile intellegitur Daphnidis miseriam de ingenti malo proverbialiter h. l. esse usurpatam.[2])

Ex historia etiam derivatur a veteribus prov. quod legitur Theocr. V 21 *ἀλλ' ὤν αἴκα λῆς ἔριφον θέμεν, ἔντι μὲν οὐδὲν ἱερόν.* Hercules enim miratus, quod Adonin homines divinis honoribus colebant, nec dignum eum existimans tali adoratione, qualis iis solum tribuenda esset qui de genere mortalium bene essent meriti, dicitur elocutus esse *οὐδὲν ἱερὸν.* V. schol. ad h. l. *παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν μηδενὸς ἀξίων;* Zenob. I 140: *ἐπὶ τῶν παντελῶς εὐτελῶν καὶ ἀχρήστων.* Prov. alias quoque occurrit: cf. Liban. ep. 351 (11) et 1144; Theod. Hyrt. in Boiss. anecd. III p. 20 p. 68 et in Manuscr. Par. V p. 731; VI p. 33; Eust. ad Hom. p. 3, 3 et op. p. 258, 40.

Ex oraculo pervulgato petitum est Theocr. XIV 48 *ἄμμες δ'οὔτε λόγω τινὸς ἄξιοι οὔτ' ἀριθμητοὶ, δύστανοι Μεγαρῆες ἀτιμοτάτᾳ ἐνὶ μοίρᾳ.* Megarenses immodica sui aestimatione elati cum consulerent oraculum, quinam praestantissimi essent Graecorum, haud blandum abstulerunt responsum, quod plenum exstat in schol. ad h. l. et in Anth. Pal. XIV 73. Dixit Pythia agrorum fertilitate Argos Pelasgicum excellere, Thraciam sive Thessaliam equis; optimas mulieres ferre Lacedaemonem, viros fortissimos Arcadiam et Tirynthum, tum: *ὑμεῖς δ' ὦ Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι οὔτε δυωδέκατοι οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.*

---

1) Non dissentire videtur Theocr. VII 73 cf. schol. ad I 65 p. 643 l. 15 Ahr. — Alteram fabulam indicat Theocr. VIII 93 ubi v. scholl, — utramque non feliciter connectunt J. H. Voss. Anmerk. u. Randgl. p. 154 et O. Hempel. Quaest. Theocr. p. 62 (Kiel 1881): neque enim Theocr. VIII 93 neque ullus alius scriptoris locus plane conspirat cum Theocr. I l. c. . cf. Fritzsch. argum. ad idyll. prim. I p. 12 ed. mai.

2) cf. Wuestem. p. 80; Fritzsch. p. 97 ed. min.

Unde Megarensium fortuna pro omnium miserrima maximeque contemnenda solet adhiberi.[1]) Exempla praebent Callim. ep. 25, 6 Mein. = Anth. P. V 6, 6: *τῆς δὲ ταλαίνης νύμφης ὡς Μεγαρέων οὐ λόγος οὐδ' ἀριθμός.* et Julian. or. VIII p. 249 D *οὐδ' ἐν τῇ Μεγαρέων ἄξιοι τάσσεσθαι μερίδι.*[2])

Aegiensibus oraculum datum esse placuit aliis[3]) atque in hunc modum usus est proverbio Liban. ep. 1116 (5) *νῦν ὁ μὴ ἐκείνων μετέχων Αἰγιεὺς ἀτεχνῶς οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.* Aegienses exhibuerunt etiam paroemiographi: v. Zenob. I 19 *Αἰγιέες οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι* ubi addit *B τινὲς δέ φασιν ἐπὶ Μεγαρέων λεχθῆναι.*[4]) Hac discrepantia commotus duo nomina usurpat Plut. symp. V 7 t. VIII p. 719: *τῶν δὲ Δημοκριτείων εἰδώλων ὥσπερ Αἰγιέων ἢ Μεγαρέων ἀριθμὸς οὐδεὶς οὐδὲ λόγος.* Sed quoniam testes antiquissimi Megarensium nomen servant idemque legitur, ubi integrum comparet oraculum, de Megarensibus primum hoc dictum esse opinor: pro quibus a posteris, cum in eundem statum famamque malam Aegienses pervenerint, horum nomen sit substitutum. Ex eadem mente intellego quod de Aeginensibus cogitaverunt Alc. ep. III 44, 1 *ἡμῶν ὡς Μεγαρέων ἢ Αἰγινητῶν*[5]) *οὐδεὶς λόγος* et Eust. op. p. 257, 70 *κατά τινα παροιμιακὸν Αἰγινήτην (μάλιστα μὲν οὖν Αἰγιέα) οὔτε δεύτερος οὔτε τρίτος.* Decurtatum est ex oraculo ceterum Anth. Pal. V 280, 4 *ἡμετέρης δὲ φροντίδος οὔτε λόγος γίνεται οὔτ' ἀριθμός;* addo Liban. ep. 372 (29) *ὁ δεῖνα . . . οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.* cf. Arsen. II 700; Arist. rhet. II 2 p. 1379 b 10.

---

1) Suid. v. *ὑμεῖς ὦ Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι: χρησμοῦ κομμάτιόν ἐστι παροιμιαζόμενον.*

2) Suid. v. *Μεγαρέων ἄξιοι μερίδος ἀντὶ τοῦ ἄτιμοι.*

3) cf. Strab. X 1, 13 p. 449; Eust. ad Hom. p. 296, 6.

4) cf. Suid. v. *ὑμεῖς ὦ Μεγ.;* Tzetz. Chil. IX 890 sqs.

5) codd. *Αἰγινητῶν* s. *Αἰνητῶν;* Bergler. parum considerate *Αἰγιέων.*

Comparari potest locutio vulgaris quae est ἐν ἀριθμῷ εἶναι[1]) neque longe diversum est quod dicit Xen. Anab. V 7, 28 ἐν οὐδεμιᾷ χώρᾳ ἔσονται h. e. pro nihilo existimabuntur s. nullam habebunt auctoritatem.

A Mormone vel dicam ex historia, quae de mythico hoc monstro narrabatur, depromptum est, quo mulier Alexandrina, ut metum incutiat puero clamanti eiusque vagitus comprimat, utitur Theocr. XV 40 μορμὼ δάκνει ἵππος. Vulgare hoc fuisse siquidem opus est testimonio testis est Theod. Hyrt. in Man. Par. V p. 743 μορμὼ δάκνει φησὶν ἡ παροιμία.[2]) Idem sentit schol. Theocr. p. 390 l 8 Ahr. εἰς κατάπληξιν γὰρ τοῦτο ἔταττον. vide schol. r. l. 20, qui hanc alteram proverbii formam servavit: Μορμώ ἐστιν ἐν ὁδῷ. Mormo qualis fuerit, non satis liquet: τεράστιον μυθίδιον vocatur a Lucian. Philops. 2; λύκιόν τι θηρίον a Theod. Hyrt. in Man. Par. V p. 732; δαιμόνιον ἄγριον et θηριῶδες ab Eust. ad Hom. p. 1234, 54; δαιμόνιόν τι φοβερόν ibid. p. 1779, 57; Corinthiam eam fuisse mulierem, quae liberis suis ipsius devoratis sursum vesperi subvolarit, auctor est schol. Aristid. Panath. 102, 5 p. 42, 19 Dind.; facultatem eius mordendi notavit Theod. Hyrt. locis c.; voce Μορμώ infantes terreri a mulieribus nutricibusque testantur Xen. Hell. IV 4, 17; schol. Arist. ran. 925; schol. Aristid. l. c.

Sane certa monstri forma non est cogitanda; immo aliam ei ab alio esse datam, quo magis cuique terriculamento esset, persuavit Dio Chrys. or. vol. II p. 355, 21: τῶν παιδαρίων ἕκαστον ἰδιότροπόν τινα Μορμὼ δέδοικε καὶ ταύτην συνείθισται φοβεῖσθαι: quae opinio confirmatur vel

---

1) cf. Wyttenb. ad Eunap. p. 79 (292 Boiss.); Latini ‚in aliquo numero esse'. contra ‚extra numerum mihi es' ait Plaut. Men. 185.

2) Hanc paulo imminutam Theocritei speciem laudant etiam schol. Aristid. Panath. 102, 5 p. 42, 19 Dind. et schol. Greg. Naz. or. 35 p. 563 C.

eo, quod Mormo saepenumero cum aliis quibusdam monstris confunditur velut cum Lamia[1]) a schol. Theocr.; schol. Arist. equ. 693; Suid. v. Μορμώ; cum Gellone a schol. Theocr.; cf. Zenob. I 58; cum Empusa alibi[2]), quam varias corporis species induere posse ex Arist. ran. 288 sqs. plane apparet. cf. Arist. eccl. 1057 cum schol. — Ex omnibus, quae disserui, intellegitur voc. ἵππος Mormoni appositum offensione carere: praesertim cum alias[3]) mulieres quaedam fabulosae fuisse equae humanis corporibus vescentes ferantur. Neque igitur recte Μορμώ cum glossa cod. r. secundum Arist. equ. 693 pro φεῦ accipitur,[4]) nec melius Ahrens. scripsit μορμὼ δάκνει · ἵππος posito aposiopesis signo.

## IV. Proverbia ex communi hominum vita occupationibusque cotidianis exorta.

Nonnulla hoc genus cotidiana pastorum agricolarumque vita progenuit.

Daphnis cum ob amorem infelicem personam a natura rebusque designatam tueri nequiret, reprehenditur a Priapo Theocr. I 86 βούτας μὰν ἐλέγευ νῦν δ' αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας. Adnot. schol. παροιμία ἐπὶ τῶν ἡσύχων μὲν πρῶτον καὶ ἡμέρων ἔπειτα δὲ ἀγρίων quae explicatio parum opportuna legitur etiam in Mant. prov. II 749. Ex re amatoria perspicuitas fit proverbio: ut boves inter pecora cupiditatum dominatione excellent, ita bubulci inter pastores: contra caprarios eximia caprorum lascivitas suis inficere solet vitiis ita tamen, ut in summa salacitate rei amatae fortiter instare non ausi desiderio excrutientur. Unde homines

1) cf. Dio Chrys. or. II p. 285. 48; schol. Ar. pac. 758 et vesp. 1035; Apost. II 497; Apul. met. I 17 et V 11.

2) cf. Ahrens. adn. ad schol. p. 547.

3) De filiis Diomedis Thracis hoc referunt schol. Aristoph. eccl. 1023 et Eustath ad Hom. p. 822, 17.

4) Sic Valcken. Wordsw Wuestem. Fritzsch. Ziegl., quos argute refellit Meinek. in suppl. adn. p. 483.

mire se gerentes in amore sive δυσέρωτες dicebantur αἰπόλοι a pastoribus.[1]) cf. Theocr. VI, 7.

Ab agricultura aliud prov. est sumptum. Cum enim agricolae valde dissoluti et incuriosi sit segetis runcationem suo tempore non obire, homo quidam rusticus, qui iam diu omnibus vel maxime necessariis vitae muneribus defuerit ob amorem, his verbis ipse se incusat Theocr. X 14 τοιγὰρ τὰ πρὸ θυρᾶν μοι ἀπὸ σπόρω ἄσκαλα πάντα. Quoniam proprie nullo pacto accipi possunt verba quae sunt ἀπὸ σπόρω propter v. 12, sed recessit temporis significatio unaque propria vis vocabuli ἄσκαλα: locutio vulgaris facile agnoscitur eum denotans, cui omnia sua iam diu neglecta iacent. cf. schol. κ. p. 69 Ziegl. — Similiter Verg. ecl. II 70: „semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est."

Ex agricolarum vita translatum est etiam quod legitur Theocr. XXX 28 καὶ νῦν εἴτ' ἐθέλω χρή με μακρὸν σχόντα τὸν ἄμφενα ἕλκειν τὸν ζυγὸν, εἴτ' οὐκ ἐθέλω. Imago petita est a iumentis iunctis, quae iugo collis imposito plaustrum vel aratrum trahunt, eaque aptissime h. l. grave amoris onus significatur. Eodem consilio metaphoram adhibet Theocr. XXVII 19 φεύγω καὶ τὸν Πᾶνα (sc. τὸν ἔρωτα) . σὺ δὲ ζυγὸν αἰὲν ἀείρεις.[2]) Onus autem dicitur amor „libertas quoniam nulli iam restat amanti" ut ait Prop. III 23, 23. Simili sensu dicit Aristaen. II 7 p. 153 ἐγὼ δὲ καὶ σὺ τὸν αὐτὸν ἕλκομεν ζυγόν explanatus a Zenob. I 68 et Apost. II 376: ἐπὶ τῶν ὅμοια καὶ παραπλήσια πασχόντων cf. Erasm. I 6, 8. Pari denique iugo aliquid facere ii dicuntur proverbiali metaphora, quibus idem animorum impetus obvenit, velut de amicis pari ac mutuo se amore diligentibus praedicat Theocr. XII 15 ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. V. Julian.

---

1) cf. schol. rec. p. 71 l. 5 Ahr.; Theocr. I 87 sqs; Hiller p. 51.

2) cf. Hor. c. I 33, 10 et III 9, 17; Tib. I 2, 90; Fritzsch. ad Theocr. XXX l. c. p. 282 ed. min.

or. VIII p. 244 C *ἀγαπήσας καὶ φιληθεὶς τὸ λεγόμενον ἴσῳ ζυγῷ.*[1])

Rustica quaedam consuetudo videtur subesse Theocr. XV 95 *οὐκ ἀλέγω. μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.* Cuius dicti naturam vulgarem diserte demonstrat vel ipsa ellipsis. Tenendum est primum verba quae sunt *οὐκ ἀλέγω* separanda esse a sequentibus. Quod enim *ἀλέγειν τινός* h. e. rationem habere alicui. rei s. curare aliqd saepenumero[2]) invenitur et eodem fere sensu verbum aut accusativo iungitur[3]) aut absolute usurpatur[4]) neque illa struendi ratio, qua adiicitur enuntiatum, aliunde innotuit, pro valde dubia ac parum probabili eam habeas necesse est. Deinde quid sit supplendum ad vocem *κενεάν*[5]) indicat Lucian. navig. 25 *χοίνικα ἀπομεμαγμένον,* quocum compares schol. *κ.* p. 90 Ziegl. *μή μοι κενὸν τὸ μέτρον ἀποψήσῃς.* Sensus igitur est: noli vacuum modium mihi abstergere h. e. facere quod inane est et inutile: nam qui e vacuo modio aliquid abripere student frustra ii laboraverint.[6])

Appono proverbia quaedam eos deridentia qui stultum aliquid ac perversum agunt sive „operam ludunt"[7]) i. e. in eas res incumbunt, quas nullo pacto possunt perficere.

---

1) cf. Hor. c. I 35, 28; Plin. ep. III 9, 8 ubi v. Gesner.

2) cf. Hom. Il. VIII 483; IX 504; od. IX 115 et 275; Apoll. Rhod. arg. II 28; Nonn. Dion. XVI 38.

3) cf. Hom. Il. XVI 388; Od. VI 268; Hes. op. 251; Pind. ol. XI 15; Simon. frgt. 37, 9.

4) cf. Theocr. XXVI 27; Hom. Il. XI 389; Od. XVI 307; XIX 154; Anth. Pal. V 303. V. etiam Spohn. lect. II p. 10.

5) Alii alia olim tentaverunt: v. Erasm. IV 3, 28; Kiessling. ad h. l. p. 425; Spohn. lect. Theocr. II p. 6.

6) cf. Herm. opusc. V p. 107; Fritzsch. II p. 52 ed. mai.

7) Plaut. pseud. 369.

Theocr. V 26 *τίς τρίχας ἀντ' ἐρίων ἐποκίξατο;*[1]) *τίς δὲ παρεύσας αἰγὸς πρωτοτόκοιο κακὰν κύνα δῆλετ' ἀμέλγεν;*[2])

Theocr. XVI 60 sqs. *ἀλλ' ἶσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾀόνι κύματα μετρεῖν ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ ἢ ὕδατι νίζειν θολερὰν διαειδέϊ πλίνθον*[3]) *καὶ φιλοκερδείῃ βεβλαμμένον ἄνδρα παρελθεῖν.*

Theocr. XXX 26 *οὗτος δοκίμοι τοὺς ὑπὲρ ἀμμέων εὑρεῖν βραϊδίως ἀστέρας ὁπποσσάκιν ἐννέα.*[4])

Ventis tradi procellisque ferri omnia proverbiali metaphora dicuntur quae ad irritum cadunt: Theocr. XXII 167: *τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα πνοιὴ ἔχοισ' ἀνέμοιο, χάρις δ' οὐκ ἕσπετο μύθοις.* Ad qu. l. animadvertit schol. *ἐκ μεταφορᾶς τῶν εἰς ὕδωρ γραφόντων*[5]) *ἢ τοιοῦτόν τι ποιούντων ἀνυπόστατον καὶ τῶν πρὸς ἀέρα λόγους ποιουμένων.*[6]) schol. r. recte *παροιμιῶδες* : frequentissimum enim est tale loquendi genus: v. Eurip. Suppl. 1155 *λόγων δὲ παρακέλευσμα σῶν ἀέρι φερόμενον οἴχεται;* Cat. 64, 142 „quae cuncta aërii discerpunt irrita venti;" Ov. art. am. I 388 „nec mea dicta rapax per mare ventus agit." cf. Pind. pyth. VI 12; Tib. I 4, 21; I 5, 35; Stat. Ach. II 286. — Ventis autem tradere aliquid pro eo usurpatur, quod est plane neglegere et eiicere e memoria: Theocr. XXIX 37 *αἰ δὲ ταῦτα φέρειν ἀνέμοισιν*

1) Apost. II 678: *ἐπὶ τῶν ἀνοήτων.* Fundamentum est prov. quod servavit Zenob. I 136 *ὄνον κείρεις: ἐπὶ τῶν ἀνηνύτοις ἐπιχειρούντων.*

2) Plut. paroem. I 345; Arsen. II 695 *τράγον ἀμέλγειν;* Verg. ecl. III 91 ‚hircum mulgere'; cf. Lucian. Demon. 28; Diogen. I 303; Mant. prov. II 768.

3) Mac. II 182 *κύματα μετρεῖν: ἐπὶ τῶν ἀνωφελῶς τι διαπραττομένων* quod prov. occurrit in Anth. Pal. XII 156, 5; Greg. Naz. or. 34 p. 556; cf. Verg. Georg. II 107. — Eust. op. p. 11, 90: *πλίνθον ὅ φασι πλύνεις* explicatus a Zen. I 174; Diog. I 295: *ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων.* cf. Boiss. anecd. I 29; Ter. Phorm. I 4, 9.

4) Plat. Euthyd. p. 294 B: *ἦ καὶ τὰ τοιαῦτα* (sc. *ἐπίστασθον*) *τοὺς ἀστέρας ὁπόσοι εἰσὶ καὶ τὴν ἄμμον;* cf. Diog. V. II 4.

5) cf. Diog. V. II 27; schol. Arist. vesp. 280.

6) Zenob. I 14.

ἐπιτρέπεις. Comparare licet Anacr. frgt. II 9 ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις φέρειν ἔδωκα λύπας; Eur. Troad. 418: Φρυγῶν ἐπαινέσεις ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι. cf. Nonn. Dion. 47, 271; 30, 248; Cat. 64, 59; 30, 9; 65, 17; Hor. c. I 26, 1.

Cum modo de vento disputaverim, adiungo hyperbolam ut ita dicam vulgarem, qua summa velocitas significatur a Theocr. VIII 54 πρόσθε θέειν ἀνέμων. Similiter Tyrt. frgt. XII 4 νικῴη δὲ θέων Θρηΐκιον βορέην; Alex. ap. Athen. p. 244 E ἢ τοῖς Βορεάδαις ἤ εἴ τι θᾶττον ἔτι τρέχει; Theod. Hyrt. in Man. Par. V p. 732 οὐδὲ ὅμοιος θέειν ἀνέμοισιν; Ov. met. III 209 „rapida velocius aura." cf. met. XIII 807.

Ex artibus petita est metaphora proverbialis Theocr. XXV 194 αὐτὸς καὶ μάλα ῥεῖα κατὰ στάθμην ἐνόησας h. e. ὀρθῶς cum glossa h. l., recte ad amussim. Usitatior erat forma παρὰ στάθμην cf. Koch. p. 80.

A rebus nauticis translatum est Theocr. I 51 ubi vulpes puero cibum in pera asservatum ablaturus prius eum se dimissurum esse negat πρὶν ἢ ἀκρατισμὸν[1]) ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ. schol. p. 56 Ahr.: ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀνύδρων τόπων. Proprie et neutra significatione πρὸς τὸ ξηρὸν καθίζειν dicitur navis quae ad scopulos afflicta naufragium facit;[2]) improprie Anth. Pal. XII 145 μόχθος ἐπὶ ξηροῖς ἐκκέχυτ' αἰγιαλοῖς. Hinc Theocr., qui activa verbi καθίζειν significatione usus est, hanc fere explicationem postulat: priusquam prandium in sicco collocaverit vulpes i. e. prandium puero subdole eripuerit. Neque tamen audeo vulgarem hanc metaphoram dicere: quamquam nostri simili sensu loquuntur „aufs trockne setzen, auf dem trocknen sitzen." Aliter Fritzsch. I. p. 30 ed. mai.[3]), aliter Kreussler. observ. in Theocr. IV p. 4 (Bautz. 1880).

---

1) ἀκρατισμὸν i. e. ἀκράτισμα prandium cum schol. quodam ed. Hiller. pro vulg. ἀκράτιστον.

2) cf. Ahrens. Philol. VII p. 410; Fritzsch. p. 46 ed. min.

3) Recte vituperatur vir doct. ab Hiller. app. crit. p. 321.

Certamina ediderunt locutiones quae leguntur Theocr. I 2 ἁδὺ δὲ καὶ τὺ συρίσδες. μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ et Mosch. III 54 Πανὶ φέρω τὸ μέλισμα; τάχ' ἂν κἀκεῖνος ἐρεῖσαι τὸ στόμα δειμαίνοι, μὴ δεύτερα σεῖο φέρηται. Pro eo quod est secundum obtinere locum metaphora leni usuque trita[1]) dicitur secundum certaminis praemium ferre.

Ex ludo latrunculorum prodiit prov. quo utitur Theocr. VI. 18. καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον. Male schol. p. 228 l. 5 Ahr. in verbis τὸν ἀπὸ γρ. λίθ. intellexit λίθινον ἄγαλμα; non melius Apost. II 468 ἤγουν ἀπ' ἀρχῆς[2]) βάλλει. Videtur usitatior forma proverbii quae erat κινεῖν τὸν ἀφ' ἱερᾶς[3]) veteres interpretes induxisse in errorem. Theocriteum unus fere omnium explevit Eust. Macr. p. 267, 4 καὶ λίθον ὅ φασι τὸν ἀπὸ γραμμῆς κινοῦσι; plenius Men. ap. Phot. p. 594, 20 τὸν ἀφ' ἱερᾶς γραμμῆς. Refertur prov. recte a schol. p. 228 l. 1 Ahr. ad ludum latrunculorum qui vocabatur ζατρίκιον s. πεντέγραμμα. In hoc uterque lusor quinque calculos (πεττοί, ψῆφοι, λίθοι) habebat, totidem lineas (γραμμαί) calculis occupandas, quarum mediam dicebant sacram. Calculorum motu certis quibusdam legibus constituto alter studebat alterum evincere, cum plurimos calculos aut adimeret ei aut ita alligaret, ut non sine magno detrimento moveri possent. Calculum in sacra linea positum tum demum solebant movere, quotiens summum in

---

1) cf. Herod. I 31, 4; 32, 2; VIII 104.

2) Phrasis erat vulgaris ἀπὸ γραμμῆς; v. Apost. II 295 οἷον ἀπ' ἀρχῆς · εἴρηται ἀπὸ τῆς δρομέων γραμμῆς ἣν ἄφεσιν καὶ βαλβίδα καλοῦσιν. cf. Arist. Ach. 483; vesp. 548; equ. II 59; Eust. Macr. p. 207, 12; Theod. Hyrt. in Boiss. anecd. III 32; Eust. ad. Hom. p. 802, 16; Bauck. p. 63.

3) Alc. frgt. 82; Sophr. ap. Eust. ad Hom. p. 633, 58; Plat. legg. p. 739 A; Poll. VII 206; IX 98; Suid. v. τὸν ἀφ'. Diog. I 259; Apost. II 479 et 320.

discrimen adducti ad extremum sed una efficacissimum descendebant auxilium aut adversarium omnes motus scienter reprimentem capitali quodam impetu conabantur superare. Unde is dicitur κινεῖν τὸν ἀφ᾽ ἱερᾶς (γραμμῆς λίθον), qui extrema parat summis viribus experiri neque quidquam intentatum relinquit.[1]) Interpretis officio funguntur Diogen. Apost.: ἐπὶ τῶν τὰ ἔσχατα κινδυνευόντων. Plut. ἐπὶ τῶν τὴν ἐσχάτην βοήθειαν κινούντων. cf. Erasm. I 1,25. — E simillimo Latinorum ludo proverbialis locutio fluxit quae est „ad incitas (sc. calces) s. ad incita redactum esse."[2]) Universa ceterum Theocritei sententia proverbiis illustratur quae sunt πάντα λίθον κινεῖν[3]), πάντα πέτρον κινεῖν[4]), πάντα κάλων σείειν (ἀνασείειν ἐκτείνειν ἐφιέναι ἐξιέναι κινεῖν.)[5])

Occupatio quaedam cotidiana prov. protulit de iis dictum, qui in laetissima rerum abundantia versantur Theocr. X 12 ἐκ πίθω ἀνθλεῖς δῆλον. ἐγὼ δ᾽ ἔχω οὐδ᾽ ἅλις ὄξος. Primum hemistichium explicat schol. παροιμία ἐπὶ τῶν ἐν περιουσίᾳ ζώντων; Arsen. II 390 ἐπὶ τῶν εὐπόρων. Idem prov. verbis similibus simillimaque sententia extulerunt Julian. or. VII p. 236 C; Jambl. in Stob. flor. 46,75; Cic. Brut. 83, 288; cf. Theod. Hyrt. in Man. Par. V p. 731; Hor. sat. I 1, 51; Plaut. mil. III 2, 123.

Homo parcus vel tenuissima grana cumini, quibus salis loco utebantur veteres, dissecare dicitur metaphora

---

1) cf. schol. Theocr.; Plut. paroem. I 331; Apost. II 320; Plat. rep. p. 487 C; Poll. IX 98; Eust. ad Hom. p. 633, 58 et p. 1396, 50; Ruhnk. ad lex. Tim. v. πεττεία.

2) cf. Brix. ad Plaut. trin. II 4, 136; Hildebr. ad Apul. met. III 28; Wernsd. ad. poet. Lat. min. IV p. 415 sqs; Isid. orig. XVIII 63.

3) Zen. I 146 Apost. II 600. — Anth. Pal. V 40, 5; Julian ep. 52 p. 436 B; Theod. Prod. VIII 251 Herch.; Plin. ep. I 20, 15; — Liban. ep. 412 (4) et 1147 (11). — Erasm. I 4, 30.

4) Eur. Heracl. 1002; cf. Koch. p. 87.

5) cf. Valcken. diatr. in Eur. frgt. p. 233 B; Kock ad Arist. equ. 756; Stallb. ad Plat. Prot. p. 338 A; Bauck. p. 72; Koch. p. 68.

vulgari[1]) hominumque sordes notanti a Theocr. X 56: *μὴ 'πιτάμῃς τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον.* Indolem hominis *κυμινοπρίστου* accuratius descripsit Arist. Eth. Nik. IV 3 p. 1121 b 21 et Eth. Meg. I 25 p. 1192 a 9. Similia conferunt Poll. III 112; Eust. ad Hom. p. 1828, 8.

E conviviis profecta est locutio, quam legimus Theocr. VII 24 *ἦ μετὰ δαῖτα κλητὸς ἐπείγεαι;* Ambigi potest, utrum vulgare hoc fuerit an conformatum a poëta, ut properandi notio augeatur. Illud tamen mihi cum schol. videtur cogitasse, cuius verba sunt: *οἱ γὰρ κεκλημένοι σπεύδουσιν. ἐπὶ δὲ τῶν βραδυνόντων παροιμία; ὅστις κ. τ. λ.* tum Poll. VI 8: *καὶ κληθῆναι δὲ ἐπὶ δεῖπνον ἥ τε παροιμία λέγει* quae verba aliunde repeti vix possunt. Fortasse alludit Poll. ad locutionem ut videtur vulgarem, quam ex Plut. symp. VI 2 t. VIII p. 896 hausit Arsen. II. 577: *οὐδέποτε κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ὕστατος ἀφικόμην.* Locutus est haec homo quidam popularis in contione Atheniensium; vult autem dicere se virum esse valde civilem morumque quales bonorum sint civium peritissimum. Nam qui vocatus ad convivium venturum se esse promisit, suo tempore adesse properat, ne male audiat ob rusticitatem aut damno mulctetur, si symbolum quidem dat, sed iustam ciborum partem non accipit. Satis hinc apparet, quanta vis accelerandi verbis insit quae sunt *μετὰ δαῖτα κλητός.* Non est quod laudemus variam scripturam *μετὰ δαῖτ' ἄκλητος*[2]); neque enim metrum[3]) desiderat correctionem nec sententia. Immo si illa recipitur, properandi significatio, quae orationis connexu flagitatur, in contrarium fere male pervertitur. Quicunque enim non vocatus ad cenam se confert, is pudore tardior est mali-

---

1) Posid. ap. Athen. VIII p. 377 A; Alex. ap. Athen. VII p. 365 C; Julian. Caes. p. 312 A; Liban. in Boiss. anecd. I 167; cf. Arist. vesp. 1357; Macar. II 178.

2) Sic cum ed. Junt. et schol. Gen. Ahrens. Hiller.

3) v. quae dixi p. 10 sq.

tiosos veritus convivarum iocos, qui talem vocabant Myconium[1]) aut Cyrenaeum[2]): nisi forte quis Chaerephontem[3]) impudentem illum cenarum assectatorem aemulatur.

Verbum ᾄδειν iterationem eiusdem rei translate significat XIV 30 χὡ Λαρισαῖος τὸν ἐμὸν Λύκον ᾆδεν ἀπ' ἀρχᾶς h. e. Larisaeus Lycum ante a me memoratum iterum pertractabat.[4]) Latini „eandem cantilenam canis";[5]) nostri homines „es ist immer dasselbe Lied, die alte Leyer."

Ex perantiqua et simplici consuetudine χλαῖναν pro stramento adhibendi[6]) depromptum est quod de nuptias facientibus dicit Theocr. XVIII 19 Ζανός τοι θυγατὴρ ὑπὸ τὰν μίαν ἵκετο χλαῖναν. Praeivit Soph. Trach. 539 καὶ νῦν δύ' οὖσαι μίμνομεν μιᾶς ὑπὸ χλαίνης ὑπαγκάλισμα. Plura praebet Wuestem. p. 279.

Ex usu nuptiali proverbialis epilogus fluxit qui Theocr. XV 77 alterum hemistichium explet: κάλλιστ', ἔνδοι πᾶσαι, ὁ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλᾴξας. Gorgo mulier Alexandrina postquam una cum Praxinoa amicissima et ancilla quadam ad Adonidis festum profecta per turbam concursusque hominum et equorum tandem in regiam pervenit, ubi insigne spectaculum propalam erat collocatum, mimicae rerum enarationi finem facit verbis, quae sunt κάλλιστ' ἐνδοῖ πᾶσαι; tum quoniam similia fere is solebat eloqui, qui novam nuptam exclusit, vulgare illud ἐπιφώνημα quod dicitur

---

1) cf. Athen. I p. 7 F; Apost. II 537.

2) Eustath. ad Hom. p. 1148, 30.

3) Menand. IV 179 Mein.; Alex. ap. Athen. IV p. 164 F et 165 A. Ad hunc pertinere puto versum, quem ex comoedia sine dubio duxit schol. Gen. scripturae suae rationem in hunc modum tutatus: οὐ γὰρ ὁ ἄκλητος ὡς ὁ κλητὸς καὶ ‚ἣν ὑστερήσῃ μοῖραν εὑρίσκει κρεῶν.'

4) cf. Herm. opusc. V 96; Voss. nott. p. 38; Kiessl. ad h. l. p. 369; Hiller. p. 174.

5) Ter. Phorm. III 2, 10 = 495.

6) Hom. Il. XXIV 646; Od. III 349; XI 189; XIV 520; XIX 380; XX 4 et 95; XXIII 180; hymn. Ven. 157; Theocr. XXIV 61.

subiungit.[1]) Res plane demonstrant tum usurpari proverbium cum omnibus quos decet intromissis fores claudi possunt,[2]) ne quis alius introeat aut ne quis eorum, qui intus sunt, qualicunque re permotus foras eggrediatur: hoc loco nostro aptissmum esse puto; facile enim mulieres Theocriteae tumultu hominum modo inferentium se modo effundentium rursus foras poterant extrudi. Jam videamus, ex quo singulari nuptiarum momento optime repetendum sit proverbium. Mos erat vetus nuptias facientes includendi „ut restinctus esset omnis pudor quem forte aliorum praesentia incuteret.“[3]) Altera eaque gravior ut mihi videtur causa usui subest: virgo nuptura et matris sororumque consuetudinem abruptura magno cum fletu interdum sponso tradebatur, praesertim si hunc, saepe ne visum quidem unquam, minime amabat. Itaque credibile est non semel eam pudore devictam amplexusque alieni viri horrescentem fugisse e thalamo.[4]) Quod ne fieret, fores claudebantur ab uno ex sponsi amicis, qui *θυρωρὸς* s. *παράνυμφος* vocabatur.[5]) Considens hic ante limen thalami et turbam virginum iuvenumque comitantium iocosque agentium retinebat et sponsam consolabatur similibus verbis, ac schol. Theocr. l. c. indicavit, monebatque, ne gravius ferret res nuptiales neve evitaret sponsi amplexus. Hinc epilogum enatum esse opinor. Intellege *θυρωρόν*, qui novam nuptam exclusit h. e. clausis foribus impedit, ne effugiat e cella nuptiali aut eo intret, ubi ipse versatur. Haec explicatio propriae verbi

---

1) schol. *κ.* p. 90 Ziegl. *ὁ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλᾴξας: ὡς παροιμίας οὔσης. ἀποκλείσας [γὰρ] τὴν νύμφην τις ‚καλῶς τάγε ἔνδον ἡμῖν ἔχει' φησί, διὸ καὶ ἡ Γοργὼ οὕτως ἐπεφώνησεν.*

2) G. Herm. opusc. V p. 106.

3) Wower. ad Petr. sat. 26. cf. Ov. art. am. II 704; Mart. XI 45, 3; Apul. met. X 20.

4) Tale enarrantem affert Wuestem. ad VIII 90 p. 145.

5) cf. Poll. III 42; Hesych. v. *θυρωρός*.

ἀποκλείειν significationi convenit.[1]) Est enim hoc idem quod Latinorum ‚excludere' i. e. clausis foribus non intromittere s. admittere ad se, ideoque de amica dici solet, quae amatorem aditu arcet (opp. εἰςδέχεσθαι recipere).[2])

Jam accedunt locutiones quaedam, quibus demonstratur quam saepe homines, dum necessariis vitae cotidianae muneribus funguntur, deorum voluntatem ac potentiam respexerint:

XV 32 ὁποῖα θεοῖς ἐδόκει τοιαῦτα νένιμμαι. Sententia non fugit schol k. p. 88 Ziegl. ἀντὶ τοῦ εἴτε καλῶς εἴτε κακῶς. Assimilo Plat. crit. p. 43 D εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον ταύτῃ ἔστω et usitatissimum illud quod est σὺν θεοῖς.

Theocr. VII, 93 ἐσθά, τά που καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα. quo dicto proverbiali[3]) rei gravitas repraesentatur.

Theocr. X 17 εὗρε θεὸς τὸν ἀλιθρὸν ad qu. l. schol. παροιμία ἐπὶ τῶν διδόντων δίκην τῆς ἁμαρτίας.

Appono hyperbolas quasdam communis vitae proprias:

Theocr. II 90 de puella curis et amore infelici macerata αὐτὰ δὲ λοιπὰ ὀστί' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα et de vitula valde tenui IV 15 τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται τὠστία. Similiter Callim. Cer. 93 δειλαίῳ ἶνές τε καὶ ὀστέα μοῦνον ἔλειφθεν.[4])

Theocr. V 78 εἶα λέγ' εἴ τι λέγεις καὶ τὸν ξένον ἐς

---

1) Omnes fere critici verba ἔνδοι πᾶσαι cum epilogo proverbiali iungunt ut Wuestem; Spohn. (lect. II p. 45) Koechl. (akad. Vortr. p. 201) Fritzsch Hiller., iusto longius regressi a propria verbi ἀποκλ. vi. Haupt. opusc. II p. 395: „intus cunctae inquit qui sponsam exclusit: nimirum sponsus aut stultus aut malitiosus", vituperatus ab Hiller. in app. crit. p. 342 et Latend. in Jahrb. f. klass. Phil. 1875 p. 299. — Similiter Erasm. olim. IV 10, 52.

2) Lucian. dial. mer. VIII 3; Alc. ep. I 37, 20; II 2, 34; Aristaen. ep. II 16 p. 174. — cf. Plaut. Men. 668 et 698; Ter. Eun. I 2, 79; Hor. sat. I 2, 67; Ov. amor. I 8, 78.

3) schol. L. παροιμία; Greg. C. L. II 68 εἰς θεῶν ὦτα ἦλθεν: ἐπὶ τῶν μεγάλων πραγμάτων. cf. Anth. Plan. I 6, 6; Verg. ecl. III 73.

4) Similia comparant Wuestem. p. 44; Fritzsch. p. 69 ed. min. Addo Arist. av. 901; Lucr. VI 1268; Verg. ecl. III 102.

πόλιν αὖθις ζῶντ' ἄφες h. e. noli occidere eum fabulans.[1]) Eadem fere verba usurpavit Plaut. mil. 1084 „sinite abeam si possum viva a vobis" neque longe abest quod de mulierum permolesta garrulitate dicit Theocr. XV 88 ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα.

Theocr. XX 5 μηδ' ἐν ὀνείροις; Mosch. IV 18 οὐδ' ὄναρ h. e. nullo pacto, nullo tempore. Haec hyperbola passim occurrit[2]); hyperbolam dico, quia nemo tam infelix est, quin per somnia videat aliquando laetiora, quam res ei dederint.

Restant formulae, quae ex communi sermonis ratione prodierunt.

Theocr. XVIII 15 κὴς ἔτος ἐξ ἔτεος; XXV 124 ἐξ ἔτεος . . . εἰς ἔτος . Nostri „von Jahr zu Jahr" s. „Jahr aus Jahr ein."

Theocr. XV 20 ἔργον ἐπ' ἔργῳ. cf. Hes. op. 382.

Theocr. XXIX 27 γηράλεοι πέλομες πρὶν ἀποπτύσαι. Similiter summam rei sublabentis celeritatem significat Hor. I 11, 7 „dum loquimur".

Theocr. XIII 70 ὃ δ' ᾇ πόδες ἆγον ἐχώρει et XIV 42 ἔδραμε . . . ᾇ πόδες ἆγον. Hoc in proverbio fuisse de iis, qui temere pergunt, testantur Lucian. Herm. 28. τὸ τοῦ λόγου ποιήσομεν ἔνθα ἂν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσιν ἐκεῖσε ἄπιμεν. et Plin. ep. VII 5, 1 „ipsi me ut verissime dicitur pedes ducunt." cf. Verg. ecl. IX 1; Hor. c. III 11, 49; epod. XVI 21; Claud. rapt. III 432.

---

1) Plaut. Men. 922 „occidis fabulans" ubi v. Brix.; cf. Hor. sat. I 9, 33.

2) Plat. Theaet. p. 173 D; Anth. Pal. V 25, 6; 23,5; XI 361, 5; Julian. or. I p. 24 D frgt. 2 p. 608, 3. Calan. ep. p. 192 Herch.

# Thesen.

I. Theocr. XXV 27 pro *οὔρους μὴν ἴσασι* legendum est *οὔρους μηνύσουσι.*

II. Theocr. X 11 voc. *χόριον* non corium aut intestina sed secundas significat.

# *Vita.*

*Natus sum Philippus Tribukait Lyckensis a. d. VIII id. ebr. a. h. s. LXV patre tum ludi publici rectore nunc cclesiae Schmodittensis antistite, matre e gente Kob, adhuc ivis. Confessioni addictus sum evangelicae. Annum undeci- ium agens gymnasio Lyckensi erudiendus sum traditus et ere a. h. s. LXXXIV testimonium maturitatis adeptus sum. n academia Albertina per novies sex menses in studia anti- uitatis incubui praeceptoribus usus his:*

***Friedlaender, Hirschfeld, Jeep, Jordan †, Ludwich, Ruehl, Schoene, Schubert, Thiele, Walter,***

*uibus omnibus gratias ajo quam maximas.*